

AB  
14  
K8



00 Le

whd. Aug. 1741

dies. Aug. = 00 Le /

H 25  
0

J

P

S

*Handwritten in blue ink:*  
1000



2  
GEORGII BEYERI,  
Jurium D.

DELINEATIO  
JURIS FEU-  
DALIS

*Ad fundamenta sua revocati*

&

*Usui seculi accommodati*

*Positionibus succinctis*

*inclusa.*



LIPSIÆ,

*Sumtibus Autoris.*

Venditur apud Fridericum Groschuff,

ANNO MDCXCH.

PERILLUSTRI. ET. EXCEL-  
LENTISSIMO.

DOMINO.

GOTHOFREDO.  
HERMANNO. A.  
BEUCHLINGEN.

DYNASTÆ. IN. DALWIZ,  
ZCHORNA. BASLIZ, &r.

*ELECTORALIUM. SA-  
XONICORUM.*

PROTO-SYNEDRII.

&

CURIAE. SUPREMÆ. PRO-  
VINCIALIS. LIPSIENSIS.

PRÆSIDI. EMINEN-  
TISSIMO.

DOMINO. SUO. PERQVAM,  
GRATIOSO.

FELICITATEM.

Venditur apud Fridericum Groschneff



**A**udet exiguus tra-  
 ctatus Gratia*e* Tu*e*  
 autorem suum com-  
 mendare, qui plus quam  
 feudali nexu adstrictum  
 Tibi se prouidetur, si modò  
 Expectativam benignita-  
 tis Tu*e* obtinere possit.  
 Sperare eam faciliùs jubet  
 nupera in me audiendo pa-  
 tientia & gratiosa curæ  
 fortunarum mearum pro-  
 missio. Neque tamen pro-  
 merendæ Gratia*e* Tu*e* pa-  
 gellas hæc sufficere cre-  
 do, sed eas propensæ recor-

):( 2      datio-

L.  
 O.  
 A.  
 I.  
 IZ.  
 A.  
 M.  
 V.



dationis documentum sal-  
 tem esse peropto. Prætereà  
 Devota erga POTENTIS-  
 SIMUM PATRIÆ PATREM,  
 cujus personam in *Te* quo-  
 que veneror, obligatio fe-  
 cit, ut *Tibi* quales quales la-  
 bores meos submissè offe-  
 ram, testantes, non omni-  
 nò in me periisse Clemen-  
 tiàm SUMMI, nunc Glorio-  
 sissimæ memoriæ, PRIN-  
 CIPIS, qui *stipendiis* in A-  
 cademiâ Patriâ per quin-  
 quennium me aluit, eoque  
 debitam pietatem excita-  
 vit & promovit indies, ne  
 quid unquam omitterem,  
 quo

qu  
 &  
 RI  
 T  
 tin  
 er  
 C  
 qu  
 Be  
 un  
 re  
 tit  
 oc  
 te  
 m  
 st  
 as  
 m





qvo Clementissima E jus  
 & SERENISSIMI SUCCESSO-  
 RIS, ELECTORIS nunc PO-  
 TENTISSIMI intentio ob-  
 tineretur. Satis autem  
 erit, non displicuisse *Tibi*  
 Conatus & Labores meos,  
 quorum rationem ut *Tibi*,  
 Beneficiorum Electorali-  
 um dispensatori summo,  
 reddam, intensissima Gra-  
 titudo exigit. Ita fiet, ut  
 occasio desideratissima pa-  
 teat Gratia *Tua* magis  
 magisque obtinendæ, cui  
 studia mea, fortunas me-  
 as, meque ipsum, postre-  
 mum, sed fidelissimum

):( 3

Cli-



Clientum *Tuorum* relinqvo.  
 Faxit verò Dominus Do-  
 minantium, ut cum PRIN-  
 CIP E FELICISSIMO Floren-  
 tissimum *Te*, oculum *Ejus*  
 sera veneretur Posteritas.  
 Ita benè erit provinciis Sa-  
 xonicis, Ita benè erit Clie-  
 tum *Tuorum* multitudini, &  
 mihi quoque, spe lætissimâ  
 exultanti, fore, ut profiteri  
 me liceat

*Per-Illustris & Excel-  
 lentissimi Nominis  
 Tui.*

Cultorem devotissimum

Autorem.

Post-



L. S.

**P**ostquam Positio-  
num fundamentali-  
um Juris Civilis  
partem priorem publicavi,  
exigebat promissum meum,  
ut residuum ad ductum Di-  
gestorum elaborarem; Ve-  
rùm aliis negotiis distra-  
ctus, cùm interim nonnullis  
Juvenibus Nobilissimis Jus  
feudale explicandum esset,  
horis subsessivis capita ejus  
potissima congesi, emen-  
davi, cum fontibus contuli,

);( 4

Ⓞ

Post-



Et ita adornavi, ut melius  
 fortè se adprobare tibi pos-  
 sint, quàm quos huc usq; vi-  
 disti, labores mei alii. Neq;  
 enim ex brevitate obscuri-  
 tas tibi metuenda est, neq;  
 neglectus doctrinarum uti-  
 lium, sed forte adhuc proli-  
 xior extiti, quàm instituti  
 ratio postulabat.

Si quidem hic communis  
 error est, quod credamus  
 integrum & omnibus nume-  
 ris absolutum Juris syste-  
 ma nobis hic exhiberi, quod  
 ibi Jus personarum, nupti-  
 as, tutelas, occupationes,  
 accessiones, traditiones,  
 Usu-

Usucapiones, successiones,  
 contractus, delicta, actiones  
 possessorias, petitorias, præ-  
 judiciales, reales & persona-  
 les curiosâ indagatione  
 quæramus, plenoq; calamo  
 tractemus, cum hæc Juris  
 pars reverà non plus confi-  
 ciat, quàm titulus aliquis  
 pandectarum, cui quidem  
 omnes materiæ, pleræque  
 tamen steriliter & sine ob-  
 servatione speciali accom-  
 modari possunt. Sufficiet er-  
 gò nobis, si in suppediandis  
 regulis digitū intendamus  
 ad ea, quæ in Jure Civili di-  
 stinctius præsupponuntur.

);( § Unum

Unum est, quod deficere  
 hic videtur: proemialis tra-  
 ctatio de Origine & autori-  
 tate Juris feudalis. Quam  
 fabulis refertissimam de-  
 prehendi, eamque adeo tra-  
 ctatui speciali, Historiæ  
 Juris Universi, Divini &  
 humani reservo. Interim  
 sententiæ meæ lineas pri-  
 mas & tumultuarias sisto:  
 Puto feudum dici quasi *Sō-*  
*dethum* / i.e. rem in alimoniã  
 Vasalli concessam. Puto  
 Feuda, quatenus cum natu-  
 ralibus suis considerantur,  
 Longobardis, quatenus cū  
 essentialibus tantum, origi-

ni incertæ esse adscribenda.  
 Puto Jus feudale olim ne-  
 quaquam legis autoritatē  
 in Germaniā habuisse, at ho-  
 diè valere in vim Legis scri-  
 ptæ. Puto fabulam esse, quod  
 Gerharo Cepegisto nigro  
 & Oberto de Orto compila-  
 tio Capitulorum feudalium  
 attribuatur. Puto, librum  
 secundū vel decies præstare  
 libro primo, Puto, antinomi-  
 as plures subesse, nec certum  
 dari  $\kappa\epsilon\iota\nu\acute{o}\mu\epsilon\nu\omicron\nu$ , quænam sen-  
 tentia potissimum sit se-  
 quenda, & optandum fuisse  
 prudentiorem compilatorē.  
 Puto Jus feudale æque in  
 sub-

Subsidium Furis Civilis adhiberi  
 posse, ac Fus Civile in subsidium Fu-  
 ris feudalis. Puto capitulorum  
 extraordinariorum nullam omni-  
 nò esse auctoritatem, ne quidem si  
 ordinaria deficiant.

Putò denique à te, si æquus es,  
 facillimè veniam me impetratu-  
 rum, si conceptus nonnulli instan-  
 tias, quæ prævideri è vestigio non  
 poterunt, sint admissuri, cum hic  
 facillimus lapsus sit eorum, qui  
 theses Furis conceptibus Univerſa-  
 libus includere meditantur, ut una  
 vel altera exceptio conclusiones in-  
 firmet, vel potiùs confirmet in Ca-  
 sibus non exceptis. Vale.

CAP.



CAP. I.

*De Definitione feudi.*

**F**eudum in dubio sumitur pro *fure*, quod Vasallo competit in re ipsi concessa.

2. Aliquando sumitur pro objecto seu ipsa re, in qua Jus feudi competit.

3. Aliquando etiam pro contractu, quo Jus feudi constituitur.

4. In priori acceptione definitur: Dominium utile concessum sub conditione praestandae fidelitatis.

5. Est Dominium utile, non ususfr. ut patet ex posit. 77 - 86. ad Inst. de R. D. & infr. cap. 8. posit. 59. seqq.

6. Quodsi quis malit vocare Ususfr. sed *Juris Germanici antiqui*, qui nihil aliud est, nisi Dominium utile, ne obstet 2. F. 23. in fin. de terminis non litigabimus. Vid. Schilt. ad Pand. Exerc. 17. th. 3. - 22.

7. Differentiam specificam constituit praestatio fidelitatis, sine qua feudum esse

A

non

non potest, ut probant communiter ex  
*2. F 3. in fin.*

8. Qui textus, quamvis planè nihil probet, neque perspicuum nostræ assertionis fundamentum ex capitulis Juris feudalis depromi possit, constans tamen omnium Gentium, quæ feudis utuntur, consensus nobis sufficit.

9. Hæc duo requisita, dominium utile, & fidelitas ad feudum constituendum sufficiunt.

10. Plures quidem qualitates feudum comitantur, sed salvâ tamen essentiâ feudi per pacta mutari possunt.

11. Scilicet, sicut in omni contractu, ita in feudo potissimum deprehendimus triplicis generis affectiones: Essentialia, Naturalia, Accidentalialia.

12. Essentialia sunt qualitates, quæ feudum constituunt, & à consensu plerarumque gentium dependent, nec per pacta mutari possunt.

13. Naturalia sunt qualitates ab unâ alterâve gente introductæ, quæ feudi essentialiam constitutam sequuntur, & feudo regulariter insunt, per pacta tamen mutari possunt.

14. Accidentalialia sunt qualitates, consensu

sensu Domini & Vasalli adjectæ, quibus natura feudi augetur vel minuitur.

15. Ergò accidentalia non nisi vero contrahentium consensu nituntur. Et falsa est assertio, quòd ea veniant partim ex pacto, partim ex dispositione Juris feudalis.

16. Quod enim ex Juris feudalis dispositione procedit, id regulariter obtinet, neque adeò accidentale est, sed naturale.

17. Neque obst. 2. F. 10. prope fin. unde inferunt Feuda soldatæ &c. impropria fieri ratione transmissionis ex Dispositione Juris feudalis.

18. Resp. Feuda ista ex aliâ ratione fiunt impropria, tum ob servitia determinata, tum ob deficientem rei immobilis possessionem.

19. His postea accedit Jus feudale, & ex voluntate contrahentium tacitâ infert, ea morte finiri.

20. Breviter : essentialia feudi duo sunt : Dominium utile, & fidelitatis præstatio.

21. Naturalia sunt (1.) ut feudum consistat in re immobili. Quod tamen Jure Longobardico erat essentialiale 2. F. 1.

A 2

22. (2.) Utc

22. 2.) Ut transmittatur ad masculos tantum 1. F. 1. §. 3. 1. F. 8. 2. F. 11.

23. 3.) Ut servitia à Vasallo præstentur 2. F. 23.

24. 4.) Ut servitia sint incerta 2. F. 51. in fin. & militaria. vid. 2. F. 2. §. 2.

25. 5.) Ut investitura renovetur post mortem Domini & Vasalli.

26. 6.) Ut Vasallus ob feloniam feudo privari possit.

27. 7.) Ut non possit feudum alienare 3. F. 9. 2. F. 48. & 52.

28. 8.) Ut fidelitatem jurare teneatur 2. F. 3. in fin. & 2. F. 4. 2. F. 24. §. in fin.

29. 9.) Ut feudum sit perpetuum 2. F. 23. in fin.

30. 10.) Ut concedatur spontè, non coactè d. 1.

31. 11.) Ut concedatur gratis sine pretio 1. F. 27.

32. 12.) Ut Vasallo sine culpâ non possit auferri 1. F. 21.

33. 13.) Ut sine consensu Vasalli Dominus non possit Dominium directum alienare 2. F. 34. §. 1.

34. Accidentalibus tot sunt, quot contrahentibus placuerint.

5. Deficiente aliquo essentiali, vitia-

tur

tur feudum, i. e. *amittit nomen suum*, & transit in contractum innominatum.

36. Ita si contrahentes in essentialibus aliquid mutent, subsistit contractus, sed amittit naturam feudi, adeoq; nec *naturalia* feudorum ejusmodi contractui in dubio *inesse praesumuntur*.

37. Pacta enim, ut ut essentialia tollant, *subsistunt*; nec irrita habentur, nisi Jure *prohibita* sint, vel *contradictionem involvant*.

38. Ita si Dominium plenum, vel non nisi servitus aliqua pro fidelitate concedatur, non est feudum.

39. Ita si remittatur fidelitas, videndum, an sermo sit de fidelitate, quam omnes homines sibi debent, an de fidelitate feudali.

40. Priori casu remissio est invalida, propter Juris prohibitionem. arg. *L. 27. §. 4. d. pact.*

41. Posteriori casu vel ita conveniunt, ut res in feudum detur sine fidelitatis praestatione, ubi invalida est remissio propter contradictionem. arg. *L. 12. pr. ff. d. precar.*

42. Vel: Ut concedatur Dominium utile sine praestatione fidelitatis.

43. Hic subsistit remissio, neque tamen feudum constituitur, sed Jus anonymum.

A 3

44. Sed

44. Sed quid si nulla in investitura mentio fiat præstandæ fidelitatis?

45. Puto, si naturalia inesse præsumuntur, id multò magis præsumi de essentialibus.

46. Naturalia inesse præsumuntur, eorumque uno mutato, non etiam reliqua mutata censentur.

47. In dubio enim voluntas contrahentium Juri communi conformis esse præsumitur.

48. Accidentalibus inesse non præsumuntur, sed à contrahentibus sunt adicienda & feudum faciunt improprium, quia mutant naturalia.

49. Per improprium verò hic non intelligimus æquivocè tale, quod planè non participat de naturâ generis sui, sed saltem *analogum s. irregulare*.

50. Sc. feudum improprium est verum feudum, & cui essentialia salva sunt, mutatis saltem naturalibus.

51. Mutantur verò naturalia s. adiciantur aliquid s. detrahatur.

52. Utroque enim casu feudum fit *irregulare*, uti æque monstruosus est homo tripes, ac unipes.

53. Utilitatem divisionis feudorum in  
pro-

propria & impropria nullā deprehendo, nisi ut distinctius notari possint species.

54. Opponitur feudo allodium, sub quo omnia omninò bona comprehenduntur, quæ non sunt feudalia; per excellentiam verò ea, in quæ dominium plenum competit.

55. Utilitas distinctionis in bona feudalia & allodialia hæc est: quod quævis res præsumatur allodialis, donec probeatur contrarium.

56. Dominium enim præsumitur indivisum, donec divisio, quæ facti est, probeatur.

57. Et res magis præsumitur libera, quàm servitiis, aliisque oneribus obnoxia.

58. Huc egregiè facit textus 2. F. 26. §. *inter filiam*. cujus ratio non ea est, quia filia fuit in possessione, ut evolventi patebit, sed quia præsumtio est pro allodio.

59. Unde ex identitate rationis hunc textum non modò à filiabus ad hæredes Allodiales reliquos, sed & ad eum casum extendo, si Agnati sint in possessione rei de quâ quæritur.

60. Nec obstat, quòd in dubio vel pari causa potior sit possidentis conditio.

8 CAP. I. DE DEFINITIONE FEUDI.

61. Hic enim & dubium & paritatem causæ excludit præsumtio pro allodio.

62. Unde infero 1.) bona immobilia à Nobili diu possessa pro allodialibus magis, quàm feudalibus haberi.

63. 2.) Bona ad castrum destinata diuque pro accessione habita allodialia præsumi, donec contrarium probetur.

64. Et quamvis contrarium habeatur in 2. F. 41. prævalebit tamen sententia textu contrario & rationibus firmata.

65. Synon. Allodii communiter constituunt *feudum solare* das *Sonnen-Lehn* quod tamen potius est *species*.

66. Denotat enim bona Principum, nullius nisi DEI, vel ex Ethnicorum hypothese, solis Clientelæ subjecta.

67. Et ita ex dictis constat differentia feudi à superficie, Emphyteusi seu Jure libellario, Jure precariæ & Censitico, item à bonis locatis.

68. In omnibus enim fidelitatis præstatio, in plerisque dominium utile deficit.

CAP.



CAP. II.

*De Divisionibus feudi  
proprii.*

1. **D**ivisio feudi in proprium & impro-  
prium constat ex *cap. antec.*

2. Sc. feudum proprium est, in cujus na-  
turalibus nihil est mutatum.

3. Hoc variè subdividitur : in anti-  
qum & novum, Ecclesiasticum &  
seculare, Nobile & ignobile, (& illud  
iterum in regale & non regale) ligium  
& non ligium, in curte & extra cur-  
tem.

4. Dum autem hæc feuda vocamus  
propria, non negamus ea etiam impropria  
*fieri posse* per pacta adjecta. Sed asserimus  
saltem *qualitatem Ecclesiasticam*, nobilem  
*&c. per se non variare* naturam feudi pro-  
prij.

5. Possunt enim hæc divisiones feudi  
proprij cum divisione in proprium & im-  
proprium reciprocari, seu una alterius  
subdivisio fieri.

6. Feudum antiquum seu paternum  
est, quod possidetur à descendente primæ  
acqvirentis.

A 5

7. Usus



7. Usus enim hujus divisionis ostendet feudum antiquum à paterno non differre.

8. Novum est, quod adhuc possidetur à primo acquirente.

9. Sed potest etiam feudum novum concedi Jure feudi antiqui.

10. Sc. in feudo antiquo succedere possunt collaterales ultimi possessoris, modò à primo acquirente descendant.

11. Ast in novo succedunt tantùm possessoris descendentes.

12. Quod si quis ergò de feudo investitur cum pacto, ut collaterales quoque succedant, feudum Jure antiqui concessum esse dicitur.

13. Et ita distinguunt inter feudum ex naturâ & ex pacto antiquum.

14. Cujus divisionis ea est utilitas, quod feudum naturâ antiquum sine consensu agnatorum alienari non possit, quod fecus est in alterâ specie.

15. Agnati enim per ejusmodi pactum utpote inter alios celebratum nullum Jus acquirunt, nisi & ipsis Jus succedendi promissum fuerit.

16. Usus verò divisionis feudi in antiquum & novum in genere consistit, par-

tim

tim in successione, de quâ supra *posu.* II.  
*seq.*

17. Partim in alienatione, quæ in feudo antiquo sine consensu agnatorum expediri nequit. 2. *F. 39. pr.*

18. Partim in amissione, siquidem feudum antiquum ob feloniam amissum Vasalli delinquentis familia extincta agnatis est restituendum.

19. At feudum novum hoc casu in perpetuum amissum censetur.

20. Adeoque inutile non erit in casus nonnullos dubios inquirere:

21. I.) An feudum, de quo filius hæreditate paternâ abstinens à Domino investitus fuit, pro novo habeatur, & ita agnati à spe successioneis excludantur.

22. Quod affirmant communiter, si Agnati in investituram consenserunt. *1. F. 2.*

23. Rectius alii distinguunt, an Agnati simpliciter consenserint, an verò sub expressâ clausulâ, ut filius tanquam de feudo novo investiatur.

24. Posteriori casu feudum novum erit, non verò priori.

25. Et frustra obijciunt, consensum Agnatorum simplicem frustraneum esse, nisi

nisi privationem successionis involvat.

26. Non enim frustraneus est, quia filius repudiatâ hæreditate Allodiali in tantum à feudo fuit exclusus, ut Agnatis Jus successionis *presentis* obtigerit, cujus renunciationem consensus simplex involvit. *conf. 2. F. 45.*

27. Et posito frustraneum fore Agnatorum consensum & nullum actum præsumi frustraneum, ea tamen præsumptio quæ Dd. est, cedit præsumptioni Legis, quod nulla renunciatio præsumatur. *Conf. 2. F. 49.*

28. Denique textus *1. F. 5. §. prætereà* loqui videtur de casu, si agnati consentiant in investituram ejus, qui planè est extraneus.

29. 2.) An feudum à Vasallo refutatum eâ intentione, ut de eo filius investiat, novum fiat, nec ne?

30. Non fieri novum, sed antiquum manere, expressè disponitur *2. F. 14.*

31. 3.) An in dubio feudum vetus, an verò novum præsumatur?

32. Antinomiam esse puto inter Textus *1. F. 12. junct. 2. F. 33. & 2. F. 11. junct. 2. F. 15. & 2. F. 26. pr.*

33. Prio-

33. Priores enim pro possidente præsumunt, posteriores indistinctè feudum pro antiquo haberi volunt.

34. Prior opinio prævalet, quia utrobique est par causa.

35. Contractus enim antiquus æque ac novus facti est. Et utrumque feudum est proprium.

36. Si verò neque Dominus neque Agnatus possideat, uterque intentionem suam probabit, & alter actoris, alter intervenientis personam sustinebit contra possessorem.

37. 4.) An feudum antiquum tanquam novum concedi possit? Negamus, ob præjudicium agnatorum.

38. Nec ergò obstat, quòd novum concedi possit Jure antiqui. Nam hoc modo non præjudicatur agnatis.

39. Illa autem quæstio inutilis est, an feudum ob feloniam amissum sed filiis delinquentis restitutum pro antiquo, an pro novo habeatur?

40. Respectu agnatorum enim manet antiquum, cum his per feloniam non præjudicetur.

41. Utrum autem respectu filiorum vetus appelletur, an novum, nihil in effectu interest.

42. Se-

42. Secunda Divisio feudi proprii est in nobile & ignobile. Circa quam explicandam mirè se torquent Interpretes.

43. Communiter ita procedunt: nobilitatem esse *vel personæ*, quæ consistit in dignitate, præcedentiâ & Privilegiis personalibus.

44. *Vel rei*, quæ consistit in Jurisdictione & juribus rei inhærentibus.

45. Jam si inquiras; quænam Nobilitas in feudo subintelligatur, distinguunt inter feudum *effectivè* & *objectivè* nobile.

46. Illud vocant, in quo nobilitas *rei* & *personæ* simul confertur ab eo, qui habet voluntatem & potestatem nobilitandi personam.

47. Hoc, in quo Nobilitas *rei tantum* transfertur, quia investiens personam nobilitare vel noluit, vel non potuit.

48. Hactenus benè; Sed quid si ille, cui potestas nobilitandi personam competit, voluntatem suam desuper non expressè declaret? eam in dubio *presumi* plerique asserunt.

49. Verùm in contrariam & ex praxi hodiernâ veriore sententiam inclinat *Struvius cap. 3. §. 8.*

50. Scilicet feudum nihil contribuit  
ad

ad nobilitatem personæ, nisi voluntas nobilitandi *exprimatur*.

51. Neque adeò Divisio *suprà positione* 43. memorata tantæ erit utilitatis, cum omne feudum nobile *objectivè* tale videatur.

52. Sed quid de divisione feudi in Regale & non regale? an ea est divisio feudi in genere, an subdivisio feudi nobilis?

53. Litem in terminis esse puto, quid enim impediret, quin feudum burgense etiam ad non regalia referatur?

54. Interim communiter habetur pro feudi nobilis subdivisio, & non regale definitur, quod ab eo, cui nobilitandi Jus competit, concessum est cum dignitate, regali inferiore.

55. Regale verò, quod à summo principe conceditur cum dignitate regali.

56. Sed vide, ne idem dicendum sit de feudo regali, quod diximus de feudo nobili *posit. 48. seqq.*

57. Dantur sanè *Inhaber der Grafschaften* / qui non sunt Comites, adeoque feudum regale per se non confert dignitatem regalem.

58. Itaque loco dignitatis *in posit. 52. & seq.*

*seq.* substituendum erit Jus exercendi regalia.

59. Feuda regalia Ecclesiastica tamen dignitatem personalem in dubio habent conjunctam.

60. Idque & in secularibus verum est de Jure Saxon: Es erhöhet nichts des Manns Wappen denn Fahren-Lehn.

61. Usus divisionis feudorum in regalia & non regalia est 1.) quod in regali eadem Jura competant in dubio, quæ Imperanti summo in suis provinciis.

62. At in non regali ea saltem tribuuntur, quæ sunt expressa.

63. 2.) quod illa sint individua, hæc non 2. F. 55. §. 1.

64. Quæ dispositio ratione Electorum repetita legitur in A. B. tit. 20. §. Darum wollen ic.

65. De reliquis feudis regalibus testantur plures, ea per consuetudinem Germaniæ dividi posse.

66. Rectius alii, has consuetudines esse *particulares* & ab allegante probandas, movent.

67. 3.) In feudis regalibus solus Princeps cognoscit, in reliquis pares Curia. De hoc videbimus *infra*.

68. Feu-



68. Feudum regale subdividitur in Ecclesiasticum & seculare, Scepter-und Fahnen-Lehn.

69. Antiquitus enim Investitura illorum scepro, horum vexillo peragebatur.

70. Hodie verò, tam Seculares, quàm Ecclesiastici gladio investiuntur. Ut de illis probat *appendix Juris Feudalis Strykiani*, de his *Rhetz. p. 409.*

71. Sive feuda sint nova sive antiqua, ut contra *Limnæum* docet experientia, & ratio, quòd Vasalli ritum veterem urgentis nihil interfit.

72. Ecclesiastica sunt Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatia.

73. Secularia: Electoratus, Archiducatus, Principatus, Ducatus, Comitatus, & moribus Germaniæ Baronatus, docente *Reinckingio. Conf. 2. F. 10.*

74. Utus hujus Divisionis est, quod feuda regalia secularia hodie transeant ad hæredes, Ecclesiastica non item.

75. Tertia divisio feudi in genere est in Ecclesiasticum & seculare.

76. Illud est, quod in re Ecclesiasticâ, hoc, quod in seculari constituitur.

77. Cùm enim fundamentum hujus divisionis Jure feudali non sit expressum,

B

recurri-

recurrimus ad argumentum Emphyteuseos, quæ ab objecto ita dividitur in Nov. 7. c. 3.

78. Hinc satis refutantur ii, qui hanc feudi divisionem vel à personâ concedente, vel ab acqvirente, vel ab utrâque simul, vel à concedente & ab objecto simul deducunt.

79. Hinc etiam patet, quomodo hæc divisio differat à divisione suprâposit. 62. recensita.

80. Illa enim desumpta erat à qualitate in personam translata, hæc verò ab objecto.

81. Feudum Ecclesiasticum vocatur ein frumstäbisch Lehn/ quia Episcopus investiens utitur baculo in parte supremâ retorto.

82. Quo denotatur restricta Episcoporum potestas; & propterea Pontifex baculo recto utitur.

83. Usus hujus divisionis est i.) quod in feudo seculari dominus investituram renovans consentiente Vasallo à primâ Investiturâ recedere possit.

84. At in feudo Ecclesiastico non potest, nisi melior reddatur Ecclesiæ conditio.

85. Nam in feudo seculari ipsius investien-

stientis præjudicium vertitur, cui iste renunciare potest.

86. At in Ecclesiastico subest præjudicium Ecclesiæ, cui renunciare Episcopus investiens nequit, quia ratione bonorum est nudus administrator.

87. 2.) In feudo seculari defuncti Domini successor obligatur investituram ab illo promissam perficere. Secus in Ecclesiastico 1. F. 9. 1. F. 25. §. si Dominus. 2. F. 26. §. moribus. Vid. 2. F. 35. ubi limitatio.

88. In hoc enim non Jure successionis ab antecessore, sed Jure Electionis potestatem suam obtinuit.

89. Adjiciunt nonnulli 3.) quod in feudo Ecclesiastico foeminae etiam succedant, per vulgatum: *Krumstab schleust niemand aus.* Sed falsò.

90. Proverbium enim hoc vel falsum est, cum origo ejus sit incerta, nec ullâ Legge publicâ confirmata:

91. Vel intelligendum de masculis hic magis promiscuè quàm alibi succedentib<sup>9</sup>.

92. Vel exaudiendum de consuetudine speciali, qualis obtinet in Feudis Fuldensibus, Hirschfeldensibus, Osnabrugensibus & Corvejensibus.

93. Quarta feudi proprii divisio est

in ligium & non ligium. Verùm nec Juri feudali conformis, nec ullius usus.

94. Vasallus enim Domino obligatur contra omnes nisi qui tacitè excipiuntur.

95. Excipiuntur autem Imperans ordinarius Vasalli (si hic sit subditus) & Dominus antiquior.

96. Idque ex naturâ pactorum, dum enim his fidem suam obstrinxit Vasallus, præjudicari iisdem per factum aliquod novum non potest.

97. Interim communiter tolerant hanc divisionem, & feudum ligium definiunt, in quo Vasallus obstringitur Domino contra omnes, solo Deo excepto.

98. Non ligium, ubi alii homines tacitè excipiuntur, ne contra eos præstetur fidelitas.

99. Et ita feudum, quod conceditur ab Imperatore vel Rege superiorem non recognoscente, regulariter est ligium, quod verò conceditur à Statibus vel Principibus subalternis, est non ligium.

100. Tandem quintò feudum proprium à situ dividitur, quod sit vel in curte, vel extra curtem.

101. Illud vocatur feudum in territorio

rio Domini, hoc quod est extra territorium.

102. Curtis enim territorium denotare videtur arg. 1. *Feud. 18.*

103. Usus est, quod in feudo intra curtem judicent Vasalli ejusdem territorii, in feudo extra curtem verò Vasalli extra territorium Domini, ejusdem tamen territorii cum hoc Vasallo.

104. Id est, si verum fateamur, usus hujus divisionis est *nullus.*

105. Semper enim judicant Vasalli ejus territorii, in quo feudum situm est.

106. Accedit, quod paribus Curiae potestas judicandi non amplius competat, de quo infra.

### CAP. III.

#### *De feudis impropriis.*

1. **F**EUDI improprii tot esse possunt species, quot modis mutari possunt naturalia.

2. Potissimæ sunt I. Feudum oblatum, quando Vasallus de re, quam sub conditione in feudum recipiendi domino traderat, investitur.

B 3

3. Hoc

3. Hoc feudum improprium est ratione acquisitionis, quia non ex liberalitate Domini proficiscitur. conf. cap. seq. posit. 26. seq.

4. Cæterum excepto modo acqvirendi à reliquis feudis propriis planè non differt. Vid. Thomaf. de feud. oblat.

5. Opponitur huic Feudum datū, quod consistit in re, quæ à Vasallo ad dominum vel non transit, vel transit quidem, sed non sub conditione recipiendæ investituræ.

6. II.) Feudum hæreditarium, cujus conspecies est feudum ex pacto & providentiâ.

7. Ignorat hanc divisionem Jus feudale, unde variæ de eâ Doctorum opiniones.

8. Alii enim hæreditarium vocant, ubi mentio fit *hæredum*; ex pacto & providentiâ, ubi nulla eorum mentio.

9. Alii hæreditarium vocant, in quo propter pactum aliter succeditur ac Jure feudali; Ex P. & P. ubi succeditur Jure feudali.

10. Alii denique tres species constituent: hæreditarium, quod conceditur pro se & *hæredibus quibuscunque*; ex pacto & providentiâ, quod pro se & *liberis*, &

Hoc

B 3

&

& mixtum, quod pro se & hæredibus masculis.

II. Prima opinio nullius est usus, nec facit, ut feudum hæreditarium sit improprium.

12. Secunda videtur optima, quia effectus ejus se exferit in diverso modo succedendi & feudum ex P. & P. proprium facit, hæreditarium verò improprium.

13. Tertia, dum priores conciliare intendit, non nisi confusionem parit. Conf. *Finckelth. Disp. feud. 2. th. 20.*

14. Quomodo enim quæso differt feudum mixtum illud à feudo ex pacto & providentia, nisi quoad conceptum?

15. Respondes: Feudum mixtum ab allodio separare licitum non est, sed filius factum defuncti præstare tenetur.

16. At quis hæc unquam negavit de feudo ex pacto & providentia?

17. Itaque hoc modo procedendum: feudum in genere ratione transmissionis est vel proprium, quod vocatur ex pacto & providentia;

18. Vel improprium s. hæreditarium, in quo succedunt foeminae & hæredes testamentarii.

19. III) Feudum foemineum, quod de-

ficientibus masculis in foeminas transmittitur. 1. F. 6. §. 1. 1. F. 8. §. 2. Vid. 2. F. 17. & 30.

20. Sc. si masculi deficiant descendentes, & filia adsit, ad fratres masculos feudum non devolvitur, sed filiae manet, quae admittitur, si masculi deficiant in eodem ordine. 2. F. 18.

21. Idque vel quia primum à foemina est acquisitum; quod propriè foemineum vocatur.

22. In hoc foeminae admittuntur, licet earum successionis mentio facta non fuerit. 2. F. 30.

23. Dominus enim foeminam investiens censetur servitia in propria persona praestanda remisisse.

24. Vel quia pactum de foeminarum successionem adjectum est, aut consuetudo foeminas admittit, quod etiam vocant in foeminas transitorium. 1. F. 8.

25. Exempla in Imperio nostro praebent Austria, Goricia, Carinthia, Ducatus Megapolitanus, Cliviae & Juliacensis &c.

26. Si masculus & foemina simul de feudo investiantur, vocatur mixtum.

27. Hic 1.) alterius sine haerede habili defuncti portio nunquam transit ad alterum, sed ad Dominum.

28. In



28. In portione masculi filia nunquam succedit, benè tamen in portione foeminae.

29. Inter foeminae descendentes diversi sexus masculus foeminam semper excludit.

30. Descendentes ex diversis matrimoniis nati & ad successionem aeqve habiles partem suam inter se subdividunt.

31. IV.) Feudum Emtum. Hoc enim ad improprium referre non dubitamus, quia hic mutatur aliquid in naturalibus.

32. Naturale enim feudi est, ut gratis & ex liberalitate concedatur. *l. F. 27.*

33. Neqve contrarium persvadet I.) quod modus acqvirendi non mutet naturam rei.

34. Resp. Mutat tamen contractum, & quoties de naturalibus sermo est, non res feudalis, sed *contractus* subintelligitur.

35. 2.) Quod pecuniae interventus non tollat benevolentiam Domini, cum adhuc benevolus dicatur, quod huic Vasallo præ alio feudum concedat.

36. Resp. Beneficium in feudo debet esse gratuitum *l. F. 27.* & quis beneficium vocaret, quando mercator pro justo pretio mercem alicui præ aliis tradit?

37. 3.) Quod beneficium emi dicatur, *l. F. 20.*

B 5

38. Be-

38. Resp. Beneficium ibi sumitur pro re feudali, de qua non loquimur.

39. Cui hæ responsiones non sufficiunt, cum sensu suo abundare patiemur, præsertim cum non tantam hujus quæstionis utilitatem videamus.

40. Ut ut enim dicant, dominum sine mentione pretii de feudo aliquem investientem non posse postea *pretium* pro feudo exigere, quia ita feudum fieret *improprium*, adeoque necessaria fuisset expressa partium conventio.

41. Nihilominus tamen, licet feudum emptum pro proprio habeas, poteris ex alia ratione eandem deducere conclusionem, quia sc. in contractibus interpretatio contra eum fieri debet, *qui clarius loqui & pretium exprimere poterat.*

42. V. Feudum Francum, in quo omnia servitia sunt remissa.

43. Non tamen remissa est fidelitas, (quia alias planè non esset feudum) nec in dubio juramentum fidelitatis.

44. Obligatur enim Vasallus ad actus consuetos negativos & positivos eos, qui servitium non involvunt.

45. In hoc feudo succedunt foeminae, quia ratio adæqvata, ex qua ipsæ alias excludun-

cluduntur, omninò & in totum ces-  
sat.

46. Succedunt tamen demum defici-  
entibus masculis, neque enim prius ad-  
mittuntur, si ipsis successio expresse con-  
cessa sit.

47. Pacti verò taciti major vis esse ne-  
quit, quàm expressi.

48. Diverfum ab hoc feudum est, in  
quod succeditur Jure Francorum, quod  
idem est ac hæreditarium.

49. VI. Feudum, ubi certis servitiis re-  
missis, reliqua tacitè censentur injuncta,  
cujus exemplum sunt die Sattelsfreye Sü-  
ter.

50. A quibus differunt die Sattel-Sü-  
ter ubi vel laudemii loco equus instru-  
ctus exhibetur, vel loco servitiorum equus  
instructus, sine milite præstatur, vel Va-  
falli servitia equites præstare debent.

51. VII. Feudum conditionatum, Sess-  
Lehen / ubi certis servitiis *expressis* reliqua  
censentur remissa.

52. Hoc utique feudum improprium  
est, non obstante 2. F. 23. in fin.

53. Ibi enim describitur feudum in ge-  
nere abstrahendo à proprio vel impro-  
prio.

54. Et

54. Et huc referri possunt feuda quaternata, *Zaffel-Lehn*/ ubi Vasallus loco servitiorum, ad instruendam mensam Domini conferre aliquid debet.

55. IIX. Feudum Censuale, in quo vel loco servitiorum vel *una cum* servitiis census præstatur.

56. Per censum verò hic denotatur quævis pensio annua, unde feudum pensionarium & laudemiale (si per laudemium non honorarium investituræ, sed annuam præstationem intelligas) eadem esse puto cum censuali.

57. Si enim dicamus feudum censuale à laudemiali differre ut censum ab Emphyteusi, tunc feudum censuale planè non esset feudum, quia deficeret dominium utile.

58. Circa hoc feudum nota 1.) quod foeminae succedant, quia & ipsæ censum solvere possunt, nisi simul præstanda sint servitia militaria.

59. 2.) quod feudum amittatur censu intra triennium non soluto, argumento Emphyteuseos.

60. IX. Feudum injuratum, in quo remittitur Juramentum fidelitatis. 2. F. 3. *in fin.*

61. IX. Feu-

61. X. Feudum Soldatæ, quod in annuâ & gratuitâ præstatione solidorum seu pecuniæ, vel annonæ consistit. 2. F. 10. *in fin.*

62. Quod, si contineat præstationem solidorum, vocatur feudum de Camera. 2. F. 2. §. 1. *Synaden-Gelder oder Cammer-Lehn.*

63. Si in annonâ, vocatur feudum de Cavenâ 2. F. 2. §. 1. *Rüchen- oder Keller-Lehn.*

64. Utrumque autem finitur morte accipientis. d. 2. F. 10.

65. Et in neutro præstantur servitia, arg. 2. F. 10.

66. Utile verò Dominium Vasallo competere fingitur in ipsâ Camera vel Cavenâ, cujus fructus Vasallus percipit, possessione saltem apud Dominum manente. 2. F. 1. *in fin.*

67. Si Camera solvendo non sit, reditus aliunde non sunt præstandi; & frustra hic discutitur, an Camera restrictivè, an demonstrativè sit adjecta.

68. Si enim Camera demonstrativè adjiceretur, feudum non consisteret in re immobili. 2. F. 1.

69. XI. Feudum quod propter pactum  
ad

ad hæredes non transit. Cujusmodi forte sunt die Schüpf-Lehen in Sveviâ.

70. Ea enim vera feuda esse, & Dominium utile in accipientem transferri suspicor.

71. Et quod Dominium utile in hæredes transeat, hoc naturale ejus tantum est, non essentiale.

72. XII. Feudum Gvardiæ seu Castrense, quod propter custodiam castri seu oppidi dominici conceditur. *l. F. 2.*

73. Ita communiter: sed mihi *l. F. 2.* videtur loqui non de feudo propter castrum custodiendum dato, sed de ipsa re custodiendâ. vid. *l. F. 4. §. 3. l. F. 10.*

74. XIII. Feudum aperturæ, propter quod Vasallus loco iervitiorum certam arcem vel civitatem domino aperire tenetur, ein aufgebüg Lehn.

75. Idque non tantum tempore belli, ut vulgò, sed etiam *tempore pacis.*

76. Competit autem apertura vel Jure Majestatis, vel jure foederis, vel jure feudi.

77. XIV. Feudum Gastaldiæ, quod loco mercedis datur ad officium domesticum investienti præstandum. Et alias aulicum vocatur. *l. F. 2.*

78. Talia feuda habere possent Marschallus,

schallus, Dapifer, Pincerna, Camerarius, Jägermeister/ Küchenmeister. &c.

79. Finiuntur verò hæc feuda finito officio, modò non intra annum. *I. F. II.*

80. XV. Feudum advocatiæ, quod datur propter officium publicum fortitudinis togatæ.

81. Sc. vel i.) quod datur pro patrocini-  
nio vel consilio in disceptandis causis  
præstando. Quo spectat feudum Can-  
cellariatus.

82. Vel 2.) propter commissam defen-  
sionem urbis vel Ecclesiæ.

83. Unde Advocatiam dividunt in se-  
cularem & Ecclesiasticam. Sed ea divi-  
sio in effectu usum non habet.

84. Quia verò talis defensio etiam of-  
ficia *militaria* includit, confundi videtur  
conceptus feudi guardiæ & advocatiæ.

85. Sed videtur tantum : differunt  
enim adhuc i.) quod feudum Guardie in-  
volvat *sola* officia militaria, feudum Ad-  
vocatiæ partim militaria, partim togata.

86. 2.) Feudum Guardie datur inferio-  
ri, feudum Advocatiæ verò *superiori*, cujus  
intuitu defensio vix potest vocari servi-  
tium.

87. Ex dictis jam supplenda erit defi-  
nitio

nitio suprà data, quod detur vel propter officium togatum tantùm, vel propter togatum & militare simul.

88. Porrò feudum advocatiæ vel *ab eo* datur, cujus defensio suscipitur, vel *ab ejus Imperante.*

89. Ita Serenissimo Saxon. Electori competit protectio Tubicinum, Palatino protectio Cuprariorum, Nobilibus Offenburgiis protectio figulorum &c.

90. Cùm distinctione tamen, ut Ille de hâc protectione specialiter non investitur, secus atque hi.

91. Cæterum Advocatia non semper Jure feudi competit; quod enim Imperator advocatus Ecclesiæ, Oberster Voigt der Christenheit audiat, id feudo adscribi non potest.

92. Sed competit ei partim jure Eminentia inter cæteros principes Christianos, partim ex promissione Pontifici Romano olim fieri solita.

93. Quæ promissio ut ut jurata sit, falsò tamen pro juramento fidelitatis venditatur, neque enim est, nisi juramentum *protectionis.*

94. Haçtenùs feuda recensuimus, quæ tam Longobardico, quàm hodierno Jure sunt



re sunt vera, licet impropria : sequuntur  
jam species, quæ olim ad feudum planè  
non pertinuerunt.

95. Nimirum XVI. feudum in *re mobi-*  
*li s. pecuniâ* consistens.

96. Essentiale enim feudi fuisse, ut in *re*  
immobili consisteret, patet ex 2. *F. 1. in fin.*

97. Et frustra allegatur 2. *Feud. 25.*  
(verbis : *nummos in feudum dandos*) ad pro-  
bandum, feudum in pecuniâ Longobar-  
dis fuisse cognitum.

98. Docet enim contextus, nummos  
ibi subintelligi, qui dantur, ut *pro ipsis feu-*  
*dum* ematur.

99. At nobis feudum in pecuniâ est, ubi  
Vasallus de certâ pecuniæ summâ inve-  
stitur, ut usuras inde percipiat, & caveat  
de sorte deficientibus hæredibus feudali-  
bus restituenda.

100. Hoc hodie verum est feudum, sed  
improprium.

101. Quamvis enim hic Dominium  
plenum in nummos Vasallo acquiri vi-  
deatur, cum eos pro lubitu expendere  
possit, eodem modo tamen Dominium  
directum fingitur, quo proprietas in quasi  
Usufructu.

102. XVII. Feudum habitationis seu Jus  
C inha-

inhabitandi prædium sub lege fidelitatis  
&c. præstandæ concessum.

103. Hoc neqve hodie feudum est, quia  
non Dominium utile, sed *servitus duntaxat* transfertur.

104. Ergò expirat morte accipientis,  
ut omnis Servitus personalis.

105. Neqve magis feudum vocari potest  
XIIIX. Feudum pignoratitium, in quo  
iterum non Dominium utile, sed Jus pi-  
gnoris transfertur.

106. Dubito autem planè, an hoc feu-  
dum conveniat cum Jure feudali. vid.  
*l. F. 28.*

107. Scilicet est concessio rei alicujus  
allodialis invicem pignoris antichretici  
sub præstatione fidelitatis, donec res re-  
luatur.

108. In hoc ergò succedunt foeminæ,  
collaterales & Ascendentes primi acqui-  
rentis, & hæredes testamentarii.

109. Jus enim pignoris transit in omnes  
hæredes, donec res reluatur.

110. Non tamen confundendum est  
cum pignoratitio Feudum *oppignora-  
rum* & feudum emtum sub pacto de retro-  
vendendo.

111. Oppignoratium est, quod Vasallus  
tertio oppignorat. 112. Hoc

112. Hoc respectu Vasalli manet feudum verum & proprium.

113. Respectu tertii verò est pignus, neque enim ab eo fidelitas vel aliud quicquam præstatur.

114. Ut verò ejusmodi oppignoratio valeat, requiritur consensus Domini & Agnatorum.

115. *Domini*, aliàs oppignoratio est nulla. 2. F. 55. pr. & 2. F. 8. in fin.

116. An etiam feudum à Vasallo sine consensu Domini oppignoratum statim amittitur?

117. Ita putem ex principiis Juris feudalis, quia alienatio & oppignoratio conjunguntur. 2. F. 55. Licet hodie contrarium obtineat.

118. *Agnatorum*; alias ipsi, successione ad eos devolutà feudum vindicarent sine restitutione mutui, quia non tenentur præstare factum antecessoris.

119. Feudum emptum sub pacto de retrovendendo est verum feudum tam Jure Longobardico, quàm hodierno.

120. Transfertur enim Dominium utile rei immobilis sub Lege præstandæ fidelitatis.

121. Est tamen improprium, nam feudum

dum emtum improprium esse probavimus supra, & emtio quoque sub tali pacto irregularis est, quia Dominium non transfertur in perpetuum.

122. Hoc à pignoratitio differt, quod in isto reditus non possint excedere quantitatem usurarum, nisi sint valde incerti, secus atque in hoc.

123. Deinde quod hoc transmittatur tantum ad masculos descendentes, secus ac pignoratitium.

## CAP. IV.

### *De personis feudum concedentibus & acquirantibus.*

1. **C**oncedere feudum possunt omnes, qui 1.) sunt Domini, & 2.) alienandi potestate gaudent. 2. F. 3.

2. Utrumque enim requiritur, quia hic transfertur Dominium utile.

3. Ergo feudum rectè datur ab iis, qui constituti sunt in Dignitate Regali, Nobilibus & plebejis, à masculis & foeminis, à secularibus & Ecclesiasticis s. Clericis.

4. Ita rusticus rem suam rectè in feudum dare potest.

5. Non

5. Non obstat 1.) quod rusticus sub personis feudum concedentibus, quæ *1. feud. 1. pr.* recensentur, non comprehendatur.

6. Jure enim antiquissimo talis concessio à rustico facta non constituebat verum feudum *1. F. 1. §. 5. & 1. F. 7.* quod tamen jam tempore compilationis mutatum erat.

7. 2.) Quod rusticis præstari non possint servitia militaria.

8. Hoc enim est *naturale* tantum, & solet moribus loco servitiorum certus Caponum numerus præstari.

9. 3.) Quod rusticus inhabilis sit fidem & obsequium exigendi.

10. Hanc enim objectionem satis diluit, quod servos manumittere, liberos adoptare & famulos conducere possit.

11. Frustra quoque objicitur 4.) quod Vasallus coram Domino rustico non possit conveniri, quia huic non competit Jurisdictio *L. 3. C. d. Fdict.*

12. Posito enim feudo ponitur Jurisdictio feudalis, quæ ineptè Legibus Juris *Romani* oppugnatur.

13. Fœmina quoque rectè feudum concedit. *2. F. 3.* nam in dubio eodem jure utitur, quo masculus.

C 3

14. Nec

14. Nec obstat, quod incapax Jurisdictionis habeatur, *L. 12. de Judic. L. 2. d. R. F.*

15. Ibi enim sermo est de Jurisdictione jure officii, non jure hæreditario competente s. patrimoniali.

16. Quod si dicas, foeminam, dum excluditur à Jurisdictione jure officii competente, multò magis arceri à patrimoniali.

17. Respondebo : Leges Civiles in materiâ feudali frustrà opponi textibus feudalibus expressis.

18. Et rogo, inspicias saltem *L. 12. §. 2. d. Judicis*, ubi prohibitio ista non defectui naturali, sed moribus Juris Romani tantum tribuitur.

19. Haud dubiè verò moribus istis per mores contrarios potuit derogari.

20. In iis tamen locis, ubi foeminis sine Curatore alienare non licet, sine eo nec investitura fieri potest.

21. De personis secularibus quoniam bona propria in feudum dare possint, nullum dubium superesse puto.

22. De eo tamen dubitatur, an bona Imperii ab Imperatore sine Statuum consensu in feudum concedi possint.

23. Quod affirmandum videtur in feudis

dis non regalibus, quamvis negativa plurimis placeat.

24. Promittit enim Imperator *in art. 30. Capitulat.* quod feuda *majora* aperta nemini sine Consensu Electorum denuò concedere velit, sed Imperio ad Fiscum restaurandum reservare.

25. Hæc promissio Electoribus fieri solet, qui Jus suum sine dubio remittere, & suo consensu bonorum istorum infeudationem confirmare possunt.

26. In aliis ergò bonis consensu Statuum vel Electorum opus non erit, cum aliàs nulla foret differentia inter regalia & non regalia, & ita frustranea promissio Capitulationi inserta.

27. Restant Clerici, circa quos non quæritur, an res proprias in feudum dare possint, cum circa eas ejusdem Juris habeantur cum Laicis. *2. F. 35. pr.*

28. Neque an feudi veteris Investituram renovare possint. Possunt enim hoc non modò, sed etiam debent.

29. Sed an feudum novum in bonis Ecclesiæ suæ sine consensu universi Capituli concedere possint.

30. Quod affirmatur, sed tantum in rebus infeudari solitis, id est, utputo, ad

infeudationem ab Ecclesiâ destinatis.  
t. F. 6.

31. Quas tamen, si Ecclesia ad paupertatem redigatur, non iterum concedere, sed de mensâ Ecclesiæ facere debent.

32. Generalis enim regula hic est: Prælatum nihil facere posse in præjudicium Ecclesiæ.

33. Neque obstat textus *1. Feud. 6.* ubi Clericis infeudatio planè denegata videtur.

34. Prohibetur enim ibi, ne in feudum dentur tituli i.e. prædia ad sustentationem Clericorum destinata.

35. Nunquam tamen ejusmodi novæ Investituræ adjici possunt novæ Conditiones, in præjudicium Ecclesiæ vergentes.

36. Denique quod de Clericis in suâ Ecclesiâ obtinet, id quoque dicendum est de Pontifice respectu univrsarum Ecclesiarum.

37. Quippe qui cum omnibus Prælati concurrentem habet Jurisdictionem.

38. Tandem non modò ipse Dominus, sed & procurator feudum concedere potest. *2. F. 3. §. 1.* in casibus quibus ipsi competit alienatio.

39. An



39. An & Vicarii Imperii, absente vel mortuo Imperatore feuda concedere possunt?

40. Affirmamus de feudis non regalibus, nam regalia diserte sunt excepta in *A. B. Cap. 5.*

41. Quod etiam ad renovationem Investituræ extendendum puto.

42. Unde tamen malè infertur, Jus judicandi de causis feudorum regalium Vicariis esse ademptum.

43. Potestas judicandi enim Vicariis sine exceptione tribuitur in *d. c. 5. A. B.*

44. Quid de Capitulo, sede vacante? Idem dicendum puto, quod de Prælatiis supra assertum est, *posse. 30.*

45. Iis enim casibus nihil innovatur in præjudicium Ecclesiæ, adeoque cessat prohibitio *t. t. X. ut sede vac. nihil innovetur.*

46. Accipere feuda possunt omnes, qui non diserte prohibentur, sive ad servitia habiles sint, sive non. *2. F. 3. §. 1.*

47. Modò Dominus sciat esse inhabiles *2. F. 3. §. 1.* tunc enim servitia in propriâ personâ præstanda remisisse censetur.

48. Omnino verò à feudis arceri communiter putant publico crimine damna-

tos & alios infames, quia in curiâ stare non possunt. dicitur *infra*.

49. Requiritur tamen, ut personæ feudum accipientes obligare se possint.

50. Hinc infantis, furiosi &c. nomine tutor vel curator, pupillus autore tutore, minor verò etiam absque Curatoris consensu feudum acquirunt.

51. Modò in casu ultimo obligatio ad servitia non involvat causam bonorum, sed consistat in facto personalitantum.

52. Juramentum verò usque ad tempus pubertatis, & hodiè communiter usq; ad majorenitatem differtur 2.F. 26. §. si minori & seq.

53. An & per procuratorem Vasallus investituram invito Domino accipere potest? Non puto, licet generalis videatur textus 2.F. 3. §. 1.

## CAP. V.

### *De rebus, in quibus Feudum constituitur.*

1. **R**ES, in quibus feudum constitui potest, debent esse 1.) in commercio tam Domini, quàm Vasalli.

2. Si

2. Si enim vel utriusque vel alterutrius commercio exemptæ sint, nulla est promissio.

3. Neque adeò tenebitur promittens ad id quod interest, nisi dolus ejus concurrat.

4. Quamvis enim Jure Civili promissio rei commercio solius promittentis exemptæ valuerit, diversa tamen ratio est in feudo.

5. Illic enim promittens non nisi instrumenti loco erat, rem à tertio in eum, cui promissa erat, transferendi. Et ita Dominium ejus *momentaneum* non attendebatur.

6. At hic Dominium *directum* reservatur promittenti, cujus ipse in casu præsentis capax non est.

7. Neque hic interesse præstat, quia neutrius culpa intercedit, quò minus promissio impleri possit.

8. Aliud ergò dicendum de re alienâ in feudum data, ubi Dominus ad evictionem præstandam adstringitur. 2. F. 8.

9. Nam sufficit hoc casu, cum rem naturaliter posse acquirere, & promissionem implere.

10. Præstat verò hoc casu non omne inter-

interesse, sed feudum priori æquivalens, vel nummi pro quibus Feudum emi possit. 2. F. 25.

11. Et ut præstetur evictio, requiritur ut antea Domino lis denunciata fuerit *d.l.*

12. In feudum ergò dari non possunt res sacræ, ut Ecclesiæ & vasa sacra, quatenus talia manent.

13. In iis enim *usus humanus*, quem Dominium utile præsupponit, obtineri non potest.

14. Et quamvis Ecclesia cum Civitate in feudum data ad accipientem transeat, Dominium tamen utile non acquiritur, *die Kirche kommt nicht in Anschlag.*

15. Sepulchra hæreditaria in feudum dari posse non dubito, modò concedantur ad usum homogeneum.

16. Res publicas & Universitatis, item bona Ecclesiastica & decimas, res quoque sanctas, ut muros, portas &c. rectè in feudum concedi docet experientia, modò concedantur ab eo, qui habet earum Dominium vel liberam administrationem.

17. Et sanctitas murorum, quæ eos commercio eximebat, ex *superstitione Gentilium* orta, hodie plane exulat.

18. 2.) Res alienari non prohibetæ 2. F.

3. §. 1.

3. §. 1. prohibentur verò vel pacto, vel ultimâ voluntate, puta fidei commissio, vel lege, ut fundus dotalis non æstimatus.

19. 3.) Corporales, nam rerum incorporealium Dominium dividi posse non videtur.

20. Siquidem conceptus Domini utilis hoc casu coincidit cum conceptu totius objecti.

21. Adeoque ut suprâ negavimus, feudum pignoratitium esse verum feudum, ita nunc idem dicendum erit de Servitutibus, Jurisdictione, Jure venandi, fructus percipiendi, Regalibus, Jure Patronatus, aliisque in feudum concessis.

22. Quæ tamen omnia cum re corporali tanquam accessorium rectè conceduntur.

23. Quæ enim rei naturaliter accedunt, ea contractum non mutant.

24. Ita si cum prædio mobilia ad illud pertinentia concedantur, feudum non fiet improprium, quia accessoria hic ingrediuntur naturam sui principalis.

25. De regalibus commodius dicetur in Jure publico.

26. De Jurisdictione indefinitè in feudum concessa dubitatur, an includatur Jurisdictio superior.

27. Ubi

27. Ubi malo ἐπέχειν, cū rationes in utramqve partem videantur æquales.

28. Qui enim utramqve Jurisdictionem subintelligunt, prætendunt sub nomine generis omnes species comprehendi, & interpretationem fieri debere contra Dominum, qui clariùs loqui potuisset.

29. At qui inferiorem tantū subintelligunt, contendunt in dubio non præsumi renunciationem, & nomen generis subinde denotare analogatum ignobilius.

30. Planè verò non ferendi sunt, qui posteriori sententiæ ex eâ ratione inhærent, quod merum Imperium ex principis Juris Civilis planè non sit Jurisdictio.

31. Quis enim unquam dubitavit, illud ex principiis Juris Germanici sub Jurisdictione comprehendi, adeoque Jus Civile frustra hic in subsidium vocari.

32. Respiciendum ergò ad opiniones in foro receptas, ubi de moribus Saxonis vid. Carpz. P. 2. Const. 40. def. 6.

33. De Jure venandi deniqve quæstio movetur, an illud comprehendatur sub feudo sylvæ.

34. Quod affirmandum putamus, quia usus sylvæ in hisce duobus saltem consistit Jure venandi & lignandi.

35. Qua-

35. Quarum specierum neutra alteri prævalet, & ita in dubio utraqve subintel-  
ligitur.

36. Accedit, quod separatam feudi spe-  
ciem licet æquivocam in jure lignandi  
communiter constituent, quæ juxta expli-  
cationem vulgarem cum feudo sylvæ co-  
incideret, & ita præter necessitatem entia  
multiplicarentur.

## CAP. VI.

### *De modis constituendi feu- dum, in specie de Investi- tura.*

1. SOlet hic communiter notari diffe-  
rentia inter modos constituendi & ac-  
quirendi feudum.

2. Modi constituendi feudum vocan-  
tur pacta investituram novam anteceden-  
tia, quibus res non afficitur, sed saltem ob-  
ligatio *personalis*, vel ut vulgò effertur, Jus  
ad rem constituitur.

3. Modi acquirendi verò, ubi *res ipsa*  
feudalis esse incipit, seu ubi constituitur  
*Jus in re.*

4. At, juxta significatum naturalissi-  
mum

num feudum constitui dicitur, quando res incipit esse feudalis.

5. Et ita accuratiùs forte distingvi posset inter modos promittendi & constituendi feudum.

6. Non tamen litigabimus de terminis modò in conceptu conveniamus.

7. Sc. modus promittendi feudum est conventio inter duos de dominio utili per subsecutam investituram sub Lege fidelitatis præstandæ transferendo.

8. At modi constituendi, vel, ut communiter, acqvirendi feudum, optimè cognoscentur ex evolutione textuum *1. F. 25. 2. F. 1. 2. F. 26. & 2. F. 33.* ex quibus diversæ theses inferuntur.

9. 1.) Feudum non acqviritur sine investiturâ *1. F. 25.*

10. 2.) Feudum acqviritur vel investiturâ, vel præscriptione, *2. F. 26.*

11. 3.) Feudum non acqviritur nisi investiturâ aut successione. *2. F. 1. in fin.*

12. 4.) Feudum acqviritur investiturâ, successione & eo quod habetur pro investitura. *2. F. 33.*

13. Nempe feudum novum sine investiturâ vel verâ vel præsumtâ non acqviritur. *1. F. 25.*

14. Dico



14. Dico feudum *novum*, unde excluditur successio 2. *F. 1. & 33.* quæ facit feudum antiquum.

15. Dico, *vel præsumtâ*, quæ est præscriptio 2. *F. 26.* & haberi dicitur pro investiturâ 1. *F. 25.*

16. Alii per id, quod habetur pro investiturâ, intelligunt traditionem feudi minus solennem, per 2. *F. 33. verb. ut ecce, si dominus. &c.*

17. At iis obstat 1. *F. 25. verb. etiamsi domino jubente. &c.*

18. Nobis verò non obstabit 2. *F. 33. verb. ut ecce si Dominus &c.* si subintelligamus apprehensionem feudi consensu Domini factam, & per longum tempus continuatam. Vid. 2. *F. 33. verb. aliquo tempore tenuisse.*

19. Adeoque ibi traditio non tanquam requisitum necessarium, sed saltem *exempli gratia* adducitur.

20. Breviter ergò dicimus, feudum novum acquiri investiturâ vel præscriptione, antiquum successione. De singulis seorsim.

21. Investitura sumitur 1.) pro solenni feudi traditione sub conditione præstandæ fidelitatis, & regulariter servitiorum.

D

22. 2.) Pro

22. 2.) Pro literis investituræ, vel pro promissione futuræ solennis Investituræ.

23. 3.) Pro complexu totius negotii feudalis à tempore contractus usque ad consummationem.

24. Hic sumitur in significato primo & definitur *in posit. 21.*

25. Dividitur verò I.) in propriam & abusivam, quæ Divisio iterum diversimodè explicatur, occasione 2. F. 2. & 1. F. 25.

26. Putamus verò investituram propriam esse, ubi possessio rei feudalis verè traditur.

27. Impropriam, ubi possessio non simul traditur, neque adeò Dominium.

28. Dominus tamen possessionem postea tradere recusans non liberatur præstando interesse 2. F. 26. §. *si facta*, & 2. F. 7. ut in omnibus dandi obligationibus.

29. Alii unicam constituunt Investituræ speciem, quam nos impropriam vocavimus.

30. Deprehendunt enim Investituram in genere opponi possessioni in 1. F. 25. at nomen generis in dubio denotat speciem nobiliorem, & ita investituram propriam.

31. Ne verò obstet 2. F. 2. dicunt, vocem

cem proprii ibi denotare significatum *Grammaticum*; abusivam verò investituram solam esse, quæ Jure feudali obtinet, adeoque propria vocari mereatur in significato Juridico.

32. Verùm quis non agnoscit, hanc responsionem nimis contortam esse & minimè probabilem.

33. Neque movebit textus *l. F. 25.* ut à sententiâ nostrâ recedamus.

34. Ibi enim vocabulo generis simpliciter posito denotatur analogatum ignobilius, s. investitura abusiva.

35. Exempla parallela non in adoptione tantum, sed & alibi passim in jure reperimus, in Crimine Majestatis, termino juris, culpæ &c.

36. II. In primam seu novam, & iteratam, quam vocant renovationem investituræ.

37. Ubi nota: Utriusque requisita in dubio esse eadem, nisi diversitas doceri possit.

38. Utraque requirebat concessionem solenniter factam.

39. Cum hac tamen differentia, ut in novâ investiturâ præsentia parium Curie essentielle requisitum fuerit, non verò in renovatâ *2. F. 32.*

40. Idque, si instrumentum super investiturâ confectum fuerit, si non, nam & hoc in novâ investiturâ non valebat, nisi à paribus Curiaë subscriptum.

41. At mores nostri, ex unanimi omnium confessione, instrumentum investituræ magis quàm testes respiciunt.

42. Ad quod subscriptio & subsignatio Domini, aut in feudis minoribus attestatum etiam Cancellariæ feudalis, ein *Lehnschein* sufficit.

43. Unde variæ quæstiones, quibus Interpretes torquentur, corruunt.

44. Puta, utrum hæc obtineant in Clerico investiente. vid. *l. F. 26.* quid dicendum sit, si extranei pro paribus Curiaë fuerint habiti, vel si pares curiaë sub multâ citati comparere noluerint? an admittantur testes extranei ad probandum, pares curiaë actui investituræ intervenisse.

45. Utrique, tam primæ, quàm renovatæ investituræ adjiciuntur pacta, quæ valent, si essentialibus siue naturalibus contrariantur.

46. Modò non involvant contradictionem vel adversentur æquitati naturali.

47. Ita tamen, ut si essentialibus contrari-

trariantur, loco feudi inducant contractum innominatum.

48. Adjici quoque solent clausulæ, quarum utilitatem multi frustra prædicant.

49. Putant enim 1.) clausulam: salvo jure tertii, id operari, ne Dominus ad evictionem præstandam teneatur.

50. 2.) Clausulam: quod feudum concedatur in præmium meritorum Vasalli, efficere, ne feudum ob feloniam possit amitti.

51. At hisce satisfacit regula juris, nullam præsumi renunciationem nisi disertè expressam.

52. Idemque reponendum est ad clausulam: ut investitura fiat juribus Domini ejusve curiæ semper salvis.

53. Magis adhuc patet impertinentia clausulæ: ut investitura fiat, naturâ feudi non mutatâ.

54. Circa utramque tamen investituram specialia nonnulla notanda veniunt, & quidem circa novam, quod ea concedatur vel purè vel sub conditione.

55. Conditionalis fit in casum, si feudum Domino fuerit apertum, & vocatur expectativa.

56. Ad quam requiri videtur, ut conditio feudi aperiendi exprimat, nam purè facta non valet. 1. F. 9. 2. F. 35. 1. F. 22.

57. Non verò requiritur consensus Vasalli, qui feudum jam possidet, sive hic liberos habeat, sive non, quia ipsi non præjudicatur. 2. F. 26. §. moribus. 2. F. 35. sed vid. 1. F. 27. §. si quis.

58. Apertum feudum vi expectativæ Dominus tradere præcisè tenetur, nec liberatur præstando interesse.

59. Domini quoque Successor eodem modo obligatur, si succedat jure hæreditario.

60. Nam qui succedunt jure Electionis, non tenentur præstare facta antecessoris, quia Jus eorum non ab ipso devolutum est 1. F. 3.

61. Nisi Vasallus Jus in re jam obtinuerit, per investituram simultaneam.

62. Si pluribus in solidum expectativa concessa, primus feudum apertum accipit, reliquis verò præstandum est interesse.

63. Idque, sive sciverit Dominus, investituram aliis jam factam esse, sive ignoraverit. 2. F. 8. in fin. pr.

64. Nec obstat, quod ignorantia facti alieni liberet à præstatione ejus quod interest.

65. Re-

65. Regula enim ista fundatur in ratione: quod talis ignorantia pro moraliter invincibili habeatur.

66. Fallit ergò in factis *solennibus* (quò referenda investitura) quæ sine supinâ negligentia ignorari non potuerunt.

67. Si denique feudum, in quo expectativa concessa à possidente, ritè alienetur, expectanti Jus revocandi non competit.

68. Hic enim neque cum alienante, neque cum novo possessore contraxit, neque Jus in re habuit.

69. Ex hac postremâ ratione quoque fuit, quod expectans feudi aperti possessionem propria autoritate apprehendere non possit.

70. Neque aliud persuadet instantia à jure succedendi, quod privatam possessionis apprehensionem tribuit, desumpta.

71. Successio enim transfert Jus *reale*, at expectativa non nisi obligationem personalem producit.

72. Circa renovationem Investituræ nota: eam fieri post mortem vel Domini vel Vasalli. 2. F. 24. & 40.

73. Multò magis itaque post mortem utriusque simul, ubi eam duplicem esse puto.

D 4

74. Et

74. Et quidē peti debet intra annum & diem 2. *F. 24.* 2. *F. 40.* sub poenâ amissionis.

75. Diei verò vocabulum laxiùs hic sumitur pro mense 1. *F. 22.* cujusmodi extensionem Germanis antiquis non ignotam fuisse docent reliquæ Juris Saxonici.

76. Supervacanæ itaqve erunt conciliationes, quasi 1. *F. 22.* loquatur de peregrino, 2. *F. 24.* verò de non peregrino; vel quasi 1. *F. 22.* de milite, & 2. *F. 24.* de non milite disponat.

77. Priorem enim conciliationem respuit generalitas textus 1. *F. 22.* secunda verò minùs probabilis est, cùm militis & Vasalli nomina in Jure feudali sint Synonyma.

78. Et cur non distinguunt, an Vasallus stet 2. *F. 24.* an verò vadat. 1. *F. 22.*

79. Jure Saxon. tempus hoc continet annum & sex hebdomadas *Lehr. cap. 24.*

80. Currit verò à die scientiæ, adeoque utile est ratione principii, non ratione cursus. *dd. text.*

81. Deinde non currit ei, qui justâ causâ impeditus fuit, quò minùs investituram peteret. 2. *F. 52.*

82. Justæ autem causæ recensentur in 1. *F. 22.*

83. Ex



83. Ex quo textu infero, si successor intra annum & mensem moriatur, antequam petierit investituram; secundo successor tempus integrum denuò currere.

84. Petitioni huic non necesse est adijcere oblationem ad juramentum, quia naturalia insunt, licet non expressa. Quamvis aliud velle videatur 2. F. 24. pr. & 2. F. 40.

85. Præstandum tamen Juramentum est perinde ut in novâ investiturâ, licet primus Vasallus juraverit pro se & hæredibus.

86. Quod si plures sint hæredes, unus ex his investituram accipere solet, quem pro vasallum vocant.

87. III. Dividitur Investitura in simplicem, de quâ hætenùs, & simultaneam.

88. Hæc aliter consideranda jure communi, aliter Jure Saxonico.

89. Jure communi tres casus continet: I. Si plures investiantur, ut simul omnes statim feudo fruantur.

90. Hic alteri in alterius parte nihil Juris competit, nec spes quidem succedendi 2. F. 12. 1. F. 14. §. si duo fratres. Exemplum suprâ habuimus in feudo mixto cap. 3. posit. 26. seqq.

D 5

91. II. Si

91. II. Si fratri in feudo novo per patrem investituræ succedendi spes defertur.

92. Hic enim aliàs planè non succederet, quia non descendit à primo acquirente.

93. III. Si consentiente Vasallo alius de feudo simul investiatur & in possessionem mittatur. Ad eum effectum, ut extinctâ lineâ Vasalli simul investitus feudum habeat, sine novâ Investiturâ.

94. Nam si non mitteretur in possessionem, esset expectativa tantùm, neque adeò requireretur consensus Vasalli.

95. Jure verò Saxonico simultanea Investitura necessaria est, ad Jus Successionis conservandum etiam iis agnatis, qui à primo acquirente descendunt.

96. Adeoque facultas succedendi non solum ex derivatione sanguinis, sed etiam ex Jure in feudo per simultaneam Investituram acquisito descendit.

97. Et simul investiti feudum habent in communione, quæ tamen ultra successionem se non extendit.

98. Ergò feudum à possessore alienatum revocare possunt, quod secus erat in expectativâ.

99. Re-

99. Renovanda verò hæc simultanea investitura, quoties vel simul investitus vel possessor vel Dominus moritur, licet feudum simul investito nondum aperia-  
tur.

100. Ita Jure Saxon. num etiam Jure communi, dubitare video Commentato-  
res.

101. Tutissima est affirmativa, quam etiam plures loci receperunt.

102. Cæterum quoad solennia Inve-  
stitura simultanea à simplici non differt.

103. Quomodo verò Saxonica diffe-  
rat ab ea, quæ est Juris communis, patebit ex inductione specierum. Maximè affi-  
nis est speciei tertiæ *in posit. 93.* recensitæ.

104. Adde, quod per Divisionem Jure Saxon. effectus simultaneæ investituræ expiret, eaque adeò sit renovanda, se-  
cùs ac Jure communi.

## CAP. VII.

### *De reliquis modis acqui- rendi Feudum, Prescriptio- ne & Successione.*

1. SEquitur præscriptio, quæ feudum  
vel constituit, vel transfert.

2. Po

2. Posterior hujus loci propriè non est, quia non immutat naturam rei, quam tertius à Vasallo ordinario præscribit.

3. Modò circa eam notentur duo 1.) eam non nocere agnatis prioris Vasalli.

4. Nisi à tempore, quo successio ad istos devolvebatur, plenus præscriptionis terminus intercesserit.

5. Ante devolutam enim successionem agere non valebant, sed agere non valenti non currit præscriptio *L. 1. C. d. annal. excepte.*

6. Itaque si plures fuerint lineæ Agnatorum, præscriptio contra priorem posteriori non nocet ob eandem rationem.

7. 2.) Eam nocere Domino, si intra tempus præscriptionis servitia à præscribente scienter receperit. *arg. 1. F. 28. & 2. F. 26. & si quis per.*

8. Quamvis enim dicti textus loquantur de præscriptione Domini utilis, in re anteà Allodiali, de quâ *infra*, eadem tamen subest ratio.

9. Non verò nocere, si neque servitia exegerit, neque ea Vasallus obtulerit. *2. Feud. 40. & 55.*

10. Quæ conciliatio commodior videtur illâ quâ dicitur *2. Feud. 40. & 55.* loqui de

lon-

longi temporis, reliquos verò textus de longissimi temporis præscriptione.

11. Absurda enim foret prohibitio præscriptionis longi temporis, quæ Juri feudali planè incognita & citra prohibitionem non obtinuisset.

12. Et nimis generales sunt textus 2. F. 40. & 55. quàm ut ad longi temporis præscriptionem restringi possint.

13. Videndum ergò est de præscriptione, quæ rem Allodiale[m] *transmutat* in feudalem.

14. Hic vel Dominium utile vel Dominium directum in re alienâ acquiritur.

15. De priori verum est, quod dicitur in 2. Feud. 33. eam haberi pro investiturâ.

16. Ad eamque requiritur 1.) Continua possessio per spatium triginta annorum 2. F. 26. 1. F. 28.

17. Quibus Jure Saxon. annum & diem addendum esse cum *Carpzovio* putamus.

18. Nec obstat, quod dicatur Jus Saxonicum de feudis nihil speciale disponere, neque adeò quatenus Juri communi derogat, ultra casus expressos extendi posse.

19. Falsa enim est hypothesis, statuta  
Ju-

Juri communi contraria strictè esse explicanda.

20. Et quò laxius spatium admittitur, eò propius acceditur ad præscriptionem Juris G. quæ in tacitâ derelictione tantum fundatur, non attentâ poenâ negligentia.

21. Quò magis verò præscriptionis terminus accedit ad præscriptionem Juris Gentium, eò est favorabilior.

22. Porro quò favorabilior est terminus præscriptionis, eò magis est admittendus, quia certatur de damno vitando.

23. Et cur denique Jus Saxonicum minus admitteret spatium in præscriptione feudali, quàm Allodialium, cum tamen major in his sit negligentia, magisque adeò coërcenda.

24. Prætereà suffragatur generalitas textus Landr. L. 1. art. 28.

25. 2.) Factum aliquod, quo præscribens titulum feudi declarat.

26. Puta si Investituræ renovationem petat, vel servitia exhibeat.

27. Si enim requirente Domino talia recusaverit, præscribet rem Jure Allodii.

28. At si Dominus Vasallo offerente diffentiat: si quidem deneget Investituram,

ram,

ram, præscriptio feudalis temper interruptur.

29. Quod si recuset servitia, non interruptur præscriptio feudi, nisi pro ratione recusationis adjecerit, hunc non esse Vasallum.

30. Potest enim ex aliâ causâ servitia recusare, quia forte iis non indiget. At investituræ denegatio aliam causam habere non potest.

31. Utroque vero casu præscribetur res tanquam allodium, tempore tamen à recusatione Domini currere demùm incipiente.

32. Tempus enim antecedens non prodest ob deficientem titulum, quia nolbat præscribere tanquam allodium.

33. Cæterum in genere præscriptio feudalis non demùm à die servitii exhibiti, sed statim à possessionis tempore currit.

34. Quæ opinio probatur magis, quàm impugnatur textu 2. Feud. 26. vers. si quis.

35. Requiritur enim ibi servitium; non tamen asseritur, præscriptionem ab eo incipere; sed possessionem potissimum spectari, non obscure innuitur.

36. Nec obstat argumentum ex Jure Civ. à servitutibus desumptum.

37. In

37. In illis enim præscriptio incipit ab actu servitutem designante, quia res, in quâ servitus prætenditur, à præscribente non possidetur, secus ac in feudo.

38. Denique bonam fidem in hac præscriptione non requiri putamus arg. *L. 10. ff. si serv. vindic.*

39. Nec obstat *capit. fin. X. de præscript.*

40. In servitutibus enim & feudo non vi, non clam, non precario possidere, habetur pro b. fide.

41. *Dominii directi* præscriptio obtinet à tempore quo investituram fecit præscribens, vel servitia exegit.

42. Modò intra 30. annos alter non contradicat, vel occasione ferente talia suscipere neget.

43. Successio in genere defertur vel ex pacto vel ex testamento, vel ab intestato. *Diximus in posit. ad Inst. d. testam. ordin.*

44. Priores species in feudis exulant *l. F. 8. pr.* nisi expressè in investiturâ sint reservatæ, vid. *supr. cap. 3.*

45. Postrema est vel descendantium vel ascendentium, vel collateralium.

46. Ascendentes in feudis non succedunt regulariter.

47. Succedunt tamen in feudo novo,  
jure



jure feudi antiqui vel jure merè hæreditario concessio.

48. Ubi si collaterales quoque adsint, hi ab ascendente excluduntur.

49. Item si ascendentibus in investitura expressè prospectum sit.

50. Porro si filius, in cujus gratiam pater feudum refutaverat, ante patrem moriatur.

51. Excluduntur quoque collaterales primi acqvirentis, licet feudum ex bonis communibus fuerit comparatum *1. F. 20. & 2. F. 12. §. quod si cum equis.*

52. Admittuntur verò Collaterales ultimi possessoris, si à primo acqvirente descendant.

53. Et generaliter succedunt in feudo masculi à primo acqvirente per lineam masculinam descendentes. *2. F. 11. 1. F. 8. in fin. 2. F. 50.*

54. Nisi nati sint ex matrimonio ad Morganaticam. vid. *2. F. 29. Conf. 2. F. 26. §. filii nati.*

55. Quantum ad ordinem: descendentes ultimi possessoris succedunt, omnes jure repræsentationis *1. F. 8. pr.*

56. Collaterales ejusdem æquales gradu succedunt æqualiter, modò omnes

E

ex

ex eodem stipite proximo proveniant.

57. Quod si unus stipiti proximo immediate subjectus superlit, reliqui mediate tantum succedunt omnes in stirpes Jure repræsentationis.

58. Ubi ex principiis Juris feudalis etiam fratrum Nepotes Jure repræsentationis gaudere puto, secus ac Jure Civili.

59. Quamvis enim omnes ferè hic dissentiant, quod expressa dispositio Juris feudalis in contrarium non adsit; videtur tamen non obscura adesse ratio.

60. Siquidem hic non tantum ad ultimum possessorem, sed potissimum ad primum acqvirentem respicitur.

61. Si stipiti nemo subsit immediate, reliqui gradu æquales succedunt æqualiter.

62. Si verò plures adsint diversis stipitibus connexi constituunt lineas diversas.


63. Ubi linea defuncto possessori proxima excludit remotiorem 2. F. 50.

64. Ita fratrum Nepotes excludunt patruelem, hic patrum magnum, ut ut æquales gradu sint.

65. Nam ex diversis stipitibus conjuncti

eti

eti eo succedunt ordine, quo stipites de-  
functo possessori sunt propinquo-  
res.



66. Otiosa verò quæstio est, an hic se-  
quatur computationem Canonice, an  
verò Civilem.

67. In quâ haud dubiè pronuncian-  
dum esset pro Computatione Civili. arg.  
2. F. 37.

68. Hæc ita in legitimè natis. Ille-  
gitimi & adoptivi nunquam succedunt.  
2. F. 26. §. naturales & §. adoptivus.

69. At de legitimatis tres deprehendi-  
mus sententias : 1.) admitti omnes ad feu-  
dum, si ante mortem possidentis legiti-  
mentur. E 2 70.2.) Ad-

70. 2.) Admitti tantum legitimatos per subsequens matrimonium.

71. 3.) Omnes legitimatos excludi.

72. Singularum opinionum patroni provocant ad 2. F. 26. §. naturales.

73. Primi eum textum ita circumscribunt: *Naturales* (qui tales sunt tempore delatae successionis) licet postea (i. e. post devolutum feudum) legitimati, non succedunt.

74. Secundi putant & postea simpliciter intelligi de omni tempore post natiuitatem; at legitimationem per matrimonium ex fictione Juris retrahi ad tempus natiuitatis.

75. Tertii textum absolute intelligunt, & his accedit *Constitutio Provincialis Saxon. Mauriti de anno 1548.*

76. Prima Interpretatio non satis probabilis est, tum quia aliquatenus violenta videtur, tum quia de legitimatis post successionem delatam, quin excludantur, nullum superest dubium.

77. Secunda nititur fictione Juris Civilis, quam tamen Jus feudale nullibi recipit.

78. Tertia vero planissima est, nec habere videtur, quod opponi possit.

79. Interim Praxis Saxonica sequitur  
opinio-

opinionem secundam *Hart. Pist. L. 2. q. 41.*

*n. 37. Carpzov. d. F. p. 2. c. 6. n. 27.*

80. Frustrà quoque dubitatur, an exhæredatus in feudo regulariter succedat.

81. Id enim necessariò affirmandum, quia dispositio testamentaria circa feuda non valet.

82. Neque admittenda *Wesenbecii* limitatio: nisi exhæredatus in Dominum commiserit delictum in *Novell. 115.* expressum, vel aliàs privationem feudi inferens.

83. Nam in *Nov. 115.* recensentur species ingratitude erga patrem, non erga Dominum.

84. Neque poena felonix ad patrem spectat, quia ipso invito à Domino remitti potest.

85. Unica adhuc addenda limitatio: eos tantùm in feudo succedere, qui sunt habiles.

86. Excluduntur ergò Clerici 2. *F. 26.* & 30. Furiosi, cœci, muti, surdi 2. *F. 36.* & ex quorundam opinione infames, quia in Curiâ Domini stare non possunt.

87. Verùm infames vel feudum accipiunt ab eo, qui habet jura territorialia; hic infamiam eo ipso censetur abolevisse.

88. Vel ab eo qui non habet Jura terri-

torii; hic tanti non videtur Curia, ut inde infames excludantur.

89. Imò, quæ de Curia Domini in Jure feudali dicuntur, hodiè ferè ab usu recesserunt &c.

## CAP. IIX.

### *De jure Domini & Vasalli intuitu feudi.*

1. Jus intuitu feudi competens terminatur vel in personam Domini & Vasalli, vel in re feudali.

2. Jus in personam vocatur *Fides*, quæ inter utrumque est reciproca 2. F. 6. §. fin.

3. Variat tamen quoad gradum ratione subjecti, nam Vasallus principaliter, dominus secundario tenetur.

4. Unde fides Vasalli jurata esse debet, secus ac Domini 2. F. 3. in fin. 2. F. 4.

5. Natura juramenti fidelitatis optimè cognoscitur ex 2. F. 7. & ex formulis examini Juris feudalis Stryckiano annexis.

6. Differentia verò ab homagio est, quod hoc personam quàm talem, illud verò quàm possessorem rei concernat.

7. Unde si Vasallus feudum derelinquat, omne juramenti vinculum desinit.

8. Pote-

8. Poterit adeoque hic ad hostem transire, nec inde avocari, & à pristino Domino captus tanquam miles captivus tractandus est.

9. At subditus, licet omnia bona derelinquat, adhuc tamen obligatus manet.

10. Ad hostem igitur transire non potest, sed avocatoria sub vitæ & famæ amittendæ poenâ in eum decernuntur, & receptus tractatur ut perduellis.

11. *Fides Vasalli* duobus veluti punctis absolvitur: reverentiâ & servitiis.

12. Reverentiæ effectus potissimi sunt  
1.) quod dominus non possit accusari 2. *F. 33. §. 22.*

13. 2.) Ex opinione communi actio famosa contra eum non institui. arg. *L. 5. §. 1. de obseq. parent. & patron. præst.*

14. 3.) Testimonium contra eum non dici in causâ criminali & Civili non modicâ. Ita enim legendum puto in *2. F. 33. §. 2.*

15. 4.) Juramentum Calumniæ ab eo non exigi *2. F. 33. §. 1.*

16. 5.) Ipse non ulterius condemnari, quàm in quantum facere potest.

17. *Servitia* feudis omnibus regulariter infunt, licet non expressa. *Vid. supr. cap. 1. posit. 23.*

18. Et regulariter sunt militaria. *Vid. 2. F. 26. §. licet Vasallus & 2. F. 39.*

19. Suntque vel determinata vel indeterminata.

20. Usus hujus divisionis in eo est, quod feudo aucto vel imminuto augeantur quoque vel imminuantur servitia indeterminata. *vid. 2. F. 55. §. 1. non verò determinata.*

21. In Imperio nostro indeterminatorum servitiorum exempla sunt rariora; communiter determinantur secundum numerum equorum, *nach Ritter-Pferden.*

22. Tenetur verò Vasallus ad præstanda servitia, siue justam causam domini esse sciat, siue dubitet. *2. F. 28.*

23. Limitant quidem nonnulli, ut non procedat in dubio *gravi*, quod per eruditos eximi non potest:

24. At constat tamen, pro imperante semper esse præsumendum, ei que obediendum, neque convenire inferioribus, ut in justitiam causæ inquirant.

25. Et si conscientiam lædere nolint, poterunt feudum derelinquere.

26. Non verò ultrò offerre servitia tenentur, sed sufficit, si parati sint, quando exiguntur *2. F. 26. §. licet Vasallus. 2. F. 37. §. non cogitur.*

27. Nisi



27. Nisi magnum & subitaneum periculum Domino immineat. *d. text. 2. F. 28.*

§. *ad hoc. in fin.*

28. Et præstant servitia sumtibus *domini*, quod usus etiam servat.

29. Neque hic admittenda distinctio inter feuda opulenta & non opulenta.

30. Nam quantitas feudi determinat *quantitatem* servitiorum, non verò attendit *sumtus*.

31. Neque refert, an in territorio, an extra illud servitia præstentur.

32. Nihil enim de hac distinctione habetur in *2. F. 107.* Et si haberetur, textus tamen extraordinarii non probant.

33. Damnum tamen, quod Vasallus in expeditione sustinuit, eidem à Domino non refunditur.

34. Porro servitia præstanda sunt ab *ipso* Vasallo, nec Dominus substitutum admittere tenetur.

35. Quam sententiam confirmat *2. Feud. ss. §. 1.* ubi acceptabilis substitutus requiritur. Non ergò admittetur, quem Dominus acceptare recusat.

36. Nec satis consideratè agunt, qui ad arbitrium judicis recurrendum putant.

37. Quod si enim Dominus directus

competentem judicem habeat, cessabunt planè servitia militaria, quia illi Jus belli non competit.

38. At si non habeat, quis in causa arbitrabitur?

39. Eximuntur verò à servitiis in propriâ personâ præstandis omnes, qui non sunt idonei ob ætatem, morbum vel officii qualitatem, ut pupilli, minores, senes, morbo vel vitio fontico laborantes, Clerici &c.

40. Qui tamen omnes ex praxi hodiernâ per substitutum servire coguntur. Aliud Jure feudali vid. 2. F. 26. §. si quis decesserit.

41. At quid si Vasallus duos dominos directos sibi invicem hostes recognoscat?

42. Ex Principiis Juris feudalis antiquior tantum Dominus adjuvandus erit, neglecto posteriori 2. F. 28. §. contra omnes.

43. Si quidem priori juravit Vasallus auxilium adversus omnes, inter quos etiam est posterior.

44. At posteriori juravit contra omnes excepto antiquiori in quem Jus jam translatum erat.

45. Ergò posteriori, nec per substitutum servire poterit, priori Juramento impeditus.

46. Ve-

46. Verùm Praxis moderna statuit, ut hoc casu utriqve mittatur substitutus, Vasallo interim quiescente.

47. Cæterùm à servitiis excusatur Vasallus, si feudum sit Francum, si dominus bannitus, si servitia præscripta.

48. An etiam, si nullos fructus ex feudo percipiat, nec per ipsum stet, quò minus percipere possit: Non puto.

49. Servitia enim non in compensationem fructuum sed recognitionem dominum præstantur.

50. Neqve Emphyteuticarius à Canonis annui præstatione liberatur ob sterilitatem.

51. Nisi dicere velis, Vasallum à servitiis liberari, si ob incursum hostilem per integrum annum & ultra feudum planè non ingredi, nec ullos inde fructus percipere potuerit, quod in Emphyteuti admittit *Carpz. L. 1. Resp. 91.*

52. Cujus tamen sententiam rectè limitare videtur *Leoninus ad L. 1. C. d. Fur. Emphyt.* modò prædium ab iis sit occupatum, à quibus recuperandi spes probabilis non est.

53. Id enim & *Carpzovii* ratio innuere videtur: quia fundus tantisper habetur pro extincto.

54. Fi-

54. Fides Domini erga Vasallum in eo consistit, ut Dominus vicem reddere debeat in iis omnibus, quæ Vasallus promisit. 2. *F. in fin.* 2. *F. 26. §. Domino* 2. *F. 33. §. 1. 2. F. 47.*

55. Positis tamen terminis habilibus; quod enim in Vasallo reverentia est, id in Domino est gratia vel amor; quod in Vasallo servitium est, id in Domino est protectio.

56. Jus Domini in re feudali vocatur Dominium directum.

57. Cujus effectus potissimi sunt, 1.) ejusdem, non verò rei feudalis vindictio. In hac enim Vasallus præfertur.

58. 2.) Jus exigendi recognitionem à Vasallo, quæ fit per investituram & servitia.

59. 3.) Denegata Vasallo alienatio rei feudalis. An etiam Domino? vid. 2. *F. 9. in fin.* 2. *F. 34. §. 1.*

60. 4.) Poena commissi, si feloniam Vasallus commiserit. vid. *cap. seq.*

61. 5.) Reditus feudi ad dominum lineâ masculinâ primi acqvirentis extinctâ.

62. Jus Vasalli in feudo vocatur Dominium utile, quod est facultas rem sibi habendi cum omnibus ejus accessionibus.

63. Ade-

63. Adeoque hoc considerabimus tum ratione commodi, tum ratione onerum.

64. *Commodum* est partim in usu, partim in persequutione, partim in dispositione.

65. Quantum ad usum; Vasallus non modo fructus, sed & reliquas accessiones suas facit.

66. Neque opus est regulariter, ut de novo de iis investiatur. Exceptio habetur *l. F. 4. §. 5.*

67. Thesaurum quoque in fundo feudali inventum, totum Vasallo cedere volunt communiter:

68. Sed placet opinio *Bonacinae* apud *Struv.* p. 457. dimidium domino, dimidium Vasallo assignantis.

69. Ut ut enim Vasallus omnia commoda ex re feudali percipiat, neque tamen hoc commodum est ordinarium, neque ei accedit, sed jam inerat tanquam pars feudi.

70. Acquiritur ergo *Jure proprietatis*, quæ inter Vasallum & Dominum est divisa.

71. Præsupponenda tamen semper distinctio, quomodo thesaurus inventus sit, de quâ *ad Inst. d. R. D. posit. 187 - 194.*

72. Quantum ad persequutionem: potest  
est

est Vasallus sine consensu Domini rem feudalem & omnia eidem inhærentia vindicare 2. F. 8. §. rei autem 2. F. 26. §. si Vasallus de beneficio 2. F. 43.

73. Multò magis ergò eidem contra vindicantes competit exceptio. *dd. text.*

74. Tranfigere quoque poterit de feudo etiam eo modo, ut illud non retineat. *d. 2. F. 26.*

75. Itemque in arbitrum compromittere, etiam si de Dominio ejus contentio sit 2. F. 34. nisi Dominus litigantes jam ad se traxerit 2. F. 15. *in fin.*

76. Quæ enim hic subesse videntur alienationes, *necessariæ* sunt, non voluntariæ.

77. Quantum ad dispositionem: Vasallus nihil facere potest in præjudicium Domini vel agnatorum 2. F. 8. §. 1.

78. A deoque meliorem feudi conditionem reddere potest, non deteriorem *d. l.*

79. Sic 1.) *servitutes* feudo in perpetuum acquirit, imponere verò non potest, nisi ut valeant, quamdiu ipse & descendentes feudum possident 2. F. 8. §. rei autem; & *arg. 1. F. 18.*

80. 2.) Rem feudalem rectè in subfeudum concedit, nisi fraudulenta alienatio subsit. 2. F. 3. 9. 26. §. beneficium 34. §. 2.

81. Ad

81. Ad hanc requirunt (a) ut subvasallus non sit deterioris conditionis ac primus. 2. F. 34.

82. Ita miles subfeudum, nisi militi dare non potest. 2. F. 26. & 34.

83. (β) Ne plus Juris tribuatur subinfeudato, quam habet primus Vasallus. 2. F. 34.

84. Ita feudum masculinum non potest fieri subfeudum foemineum. d. text.

85. At hæc non cohærent cum affecti-  
onibus, quæ subfeudo communiter tribu-  
untur.

86. Nempe subinfeudatus *immediato do-*  
*mino* suo tantum servitia præstat, non su-  
periori.

87. Quid ergò intererit superioris, an miles sit subinfeudatus, nec ne, si non ab eo, sed à subinfeudante servitia præstan-  
tur?

88. Ita extincta linea subinfeudantis  
expirat subinfeudatio, quotcumque etiam  
ex lineâ subinfeudati supersint. arg. 1. F. 5.  
*in fin. pr.*

89. Quid ergò referet, an subfeudi suc-  
cessio ad foeminas extendatur, nec ne, vel  
an aliæ pingviores conditiones adjician-  
tur, cum eæ tantum valeant in præjudici-  
um primi Vasalli.

90. Pu-

90. Puto autem de Jure feudali communi subvasallum Domino *mediato etiam* ad servitia fuisse obstrictum 2. *F. 34. §. 2.*

91. Excludebatur ergò non-miles & foemina. Qvi tamen ex hodiernâ consuetudine forent admittendi.

92. Interim hodieqve excluduntur ex opinione communi, pro qvâ non sufficiunt rationes *Struvii c. 12. aph. 11. n. 2. & 3.*

93. Cæterùm positis his requisitis non refert, an feudum gratis, an interveniente pretio concedatur.

94. Et valet inbinfeudatio secunda, tertia &c. in infinitum usqve. 2. *F. 34. §. 2.*

95. 3.) Feudum rectè *refutat*, non modò Domino, de quo nullum dubium est, modò agnati, qvibus jus succedendi competit, consentiant:

96. Sed etiam filiis, sine consensu Domini specialiter impetrato. arg. 2. *F. 14. & 38.*

97. Immò & agnatis, qvi à primo acqvirente descendunt 2. *F. 38.* ubi liberorum consensus necessarius non est.

98. Non autem extraneis; Inter qvos etiam connumerantur agnati à primo acqvirente non descendentes.

99. Si agnatis remotioribus facta sit *refutatio*, proximioribus competit jus re-  
voca-

voca  
lios.  
- IC  
os, v  
- IC  
scien  
inter  
- IC  
tuere  
fufci  
- IC  
revo  
succo  
non.  
- IC  
non  
succe  
rat.  
- IC  
tio, f  
latæ  
succe  
- IC  
tion  
tur.  
- IC  
hære  
nem



vocandi feudum. 2. Feud. 26. §. Titius filios.

100. Hoc oritur vel ex Jure protimeseos, vel ex Jure successionis.

101. Prius competit intra annum à die scientiæ, modò refutatio facta sit pretio interveniente. 1. F. 9. §. 1.

102. Quo casu revocans pretium restituere & omnes venditionis condiciones suscipere cogitur. 2. F. 3.

103. Posterius competit successione in revocantem devolutâ, pro eâ parte in quâ succedit, sive gratis facta sit refutatio, sive non 2. F. 26. §. Titius.

104. Et pretium, si quod hic intervenit, non restituitur *d. l.* quia devoluta in eos successione, alienatio antecessoris expirat.

105. Neque anno finitur hæc revocatio, sed demum *triginta annis* à tempore delatæ successionis, perinde ac ipsum Jus succedendi.

106. Filiis verò refutantis vel revocationi renunciantis, Jus revocandi denegatur. arg. 2. F. 45.

107. Neque obtinet hoc Jus in feudis hæreditariis, ob liberam de iis dispositionem.

F

108. One-

108. Onera consistunt in exsolvendis debitis feudalibus.

109. Quæ in feudo hæreditario à Successoribus indistinctè præstanda sunt, quia hoc ratione successionis ab allodio non differt.

110. At in feudo ex pacto & providentia distingvendum, an descendentes succedant, an agnati.

111. Illo casu debita iterum præstanda sunt, aut feudum cum hæreditate allodiali repudiandum. 2. F. 45. & 51. §. filius.

112. Excipe: 1.) Si consentientibus agnatis Dominus filium tanquam de novo beneficio investiverit.

113. 2.) Si filii nominatim cum patre simul fuerint investiti.

114. 3.) Si debita sint paterna, filius verò avo succedens in feudo hæreditatem patris repudiet.

115. 4.) Si institutis Nepotibus filius à patre fuerit exhæredatus.

116. Quod indistinctè procedere puto, quamvis plures hoc casu dissentiant, si exheredatio fiat in fraudem Creditorum.

117. Nam 1.) omissio acquisitionis non æquè coercetur, ac *realis alienatio* in fraudem

fraud  
seqq.

118  
exhæ  
stâ ca  
tis va

119  
Patri  
ceden

quid  
dum

120  
da fu

121  
vant  
funct

122  
ex ac

123  
simp  
subsi

124  
(a)  
cta

125  
feud  
spect  
tarur  
eviden

fraudem Creditorum facta. *L. 6. pr. ac §. 1. seqq. quæ in fraud. Credit.*

118. 2.) Similis casus hodie receptus, ut exhæredatio filii obæratæ, etiamsi sine iustâ causa facta Nepotibus ex eo institutis valeat.

119. 3.) Filio universam hæreditatem Patris repudiante & agnatis in feudo succedentibus nihil accipiunt Creditores, quid ergò horum intererit, agnatus feudum habeat, an filius?

120. *Hoc casu (vid. posit. III.) separanda sunt onera Vasalli & onera feudi.*

121. Illa Dominum & agnatos non gravant quia hi causam non habent à defuncto.

122. Hæc vel suâ naturâ talia sunt, vel ex accedente consensu.

123. *Naturâ talia* feudum afficiunt vel simpliciter, utut superfit allodium, vel in subsidium, seu allodio deficiente.

124. Ad primam classem spectant (a) Debita in feudi utilitatem contracta.

125. Modò Creditor versionem in feudum probare possit, vel ex oculari inspectione vel apocharum ab operariis datarum productione, vel præsumtionibus evidentibus.

F. 2

126. Qvò

126. Quò spectat 1.) probata indigentia possessoris. 2.) cessatio ejusdem post mutuum acceptum & subsequens melioratio. 3.) defectus aliorum mediorem, quibus melioratio fieri potuerit.

127.  $\beta$ ) Residuum pretii, quo feudum emtum est à primo acqvirente.

128. Quamvis enim nonnulli putent hoc debitum esse allodiale, cùm veniat ex contractu;

129. Contractus tamen iste *causa est*, cur agnati feudum accipiant.

130. Quod si agnati ab agnatis feudum emant, ii tantum successores ad residuum pretii solvendum tenentur, qui propter emtionem citius succedunt.

131. Imò & Dominum directum ad residuum pretii teneri puto feudo aperto, si ex agnatis venditoris *supersint*, qui in feudo succedere possint.

132. Nam & hoc casu venditio causa erat, cur Domino feudum citius aperiretur.

133.  $\gamma$ ) Dotalitium, quod est usufructus ad dotis proportionem viduæ ad dies vitæ in bonis mariti defuncti constitutus.

134. Hoc

134. Hoc ex moribus post compilationem feudorum introductis debetur. vid. 2. F. 8. §. 2.

135. Est usufructus Juris Germanici antiqui, adeoque dominium utile. vid. Schilt. ad Pand. Exerc. 17. th. 12. 13. 14. & 19.

136. Unde nec ad cautionem teneri viduam rectius asseritur.

137. Fundamentum, propter quod dotalitium ex feudo principaliter debetur, inde deducitur, quia dos illata *presumitur in feudum versa*.

138. Elidere tamen agnati hanc presumptionem possunt per contrarii probationem.

139. Neque ad illationem contra agnatos probandam sola mariti confessio sufficit.

140. Quantitas consistit in usuris dotis vel duplicatis vel quadruplicatis in Saxoniâ.

141. Illæ regulariter non absorbent dotem, hæ verò semper.

142. Ut verò locum habeat dotalitium, non requiritur, ut per conventionem mariti constitutum sit, sed sufficit *dotis illatio*.

143. At, si dotem certam promissam,

F 3

non

non tamen illatam mortuo marito cum  
ufuris offerat vidua, *Jure Saxonico* adhuc  
ad dotalitium admittitur.

144. Nisi 1.) concurrat cum Creditori-  
bus defuncti.

145. 2.) Nisi successores Feudales to-  
tidem loco donationis propter nuptias  
addere malint.

146. Jure communi autem, si dos vivo  
marito illata non fuerit, dotalitium peti  
non potest.

147. Nisi 1.) maritus in morâ accipiendi  
fuerit.

148. 2.) Fidem de dote simpliciter ha-  
buerit.

149. 3.) Dies solutioni dotis destinata  
nondum venerit.

150. 4.) Dos ab alio quàm uxore debea-  
tur.

151. His enim casibus per uxorem non  
stat, quo minùs dos exsolvatur.

152. Cæterum mortuo marito libe-  
rum est uxori, an dotalitium petere, an  
dotem recipere malit. Voluntatem  
tamen semel declaratam mutare non pot-  
est.

153. Quod restringunt *Dd.* modò al-  
terutrum etiam *realiter apprehenderit.*

154. De-

154. Debita in subsidium ex feudo solvenda sunt : 1.) alimenta & dotatio filiarum.

155. Quamvis multis in locis dos ex feudo præstanda sit, licet allodium vel maximè sufficiat.

156. 2.) Alimenta filiis successionis feudalis *incapacibus* præstanda.

157. 3.) Legitima filiarum ex feudo *no vo emto*, cujus pretium omnem ferè patris substantiam exhaustit.

158. Item ex bonis quæ pater in feudum obtulit, si quod superest, ad legitimam non sufficiat.

159. Quod si verò legitimam acceperit filia, dotem postea vel alimenta petere nequit.

160. 4.) Expensæ in funus Vasalli ; quamvis hoc non omni dubio careat.

161. 5.) Expensæ in servitia militaria, zu Aufbringung des Lehn-Pferdes in locis aliquibus.

## CAP. IX.

*De modis amittendi  
feudum.*

1. **A** Mittitur feudum vel culpâ Vasalli, vel citra eam.
2. Propter culpam amittitur non modò feudum jam acquisitum, sed & spes acquisitionis 2. *F. 55. §. 2.* quamvis dissensus fuerit inter antiquos 2. *F. 51. §. quæsitum esse.*
3. Culpa vocatur feloniam, cujus species non facilè, nisi in libris feudalibus expressæ admittuntur, non obstantibus quæ Obertus filio suo satis confusè rescribit. 2. *F. 23. conf. 2. F. 24. §. 2. neque conatus sufficit 2. F. 57. §. si voluerit.*
4. Committitur verò culpa vel committendo, vel omittendo, illa rursus vel in Dominum, vel in extraneum.
5. Hujus differentię usus est, quod priori casu, quamdiu superstes est linea possidentis feudum ad Dominum directum transeat. Posteriori verò statim ad Agnatos Jure feudali post quartum gradum devolvatur. 2. *F. 24. §. denique saepe 2. F. 31. & 37.*

6. Filiis



6. Filiis enim delinquentis semper adimitur feudum. 2. *Feud.* 26. §. *si Vasallus* 2. *F. 31.*

7. In personis Ecclesiasticis feudum possidentibus & feloniam committentibus, illud successori restituendum, si mortuus sit infidelis. 2. *F. 40.* §. *item si Clericus.*

8. In dominum committitur felonia vel principaliter, vel per consequentiam.

9. Principaliter, si Vasallus 1.) in vitam Domini aliquid tentaverit extra casus in Legibus permisos 1. *F. 5.* 2. *F. 24.*

10. 2.) Si atroci eum affecerit injuriâ, sive verbalis, sive realis fuerit.

11. 3.) Si cum hostibus Domini foedus pepigerit, aut *amicitias saltem* contraxerit.

12. 4.) Si in causâ Criminali vel Civili non modica (ita enim legit 2. *Feud.* 1. §. 1.) testimonium contra Dominum dixerit.

13. 5.) Multò magis ergò si eum criminaliter accusaverit, ejusve delator existat 2. *F. 24.* §. 2. unde tamen communiter excipiunt crimen Læs. Maj.

14. 6.) Si feudum vel partem ejus sine

consensu Domini alienaverit 1. F. 21. §. si quis miles 2. F. 24. §. denique sepe.

15. Modò dolosa fuerit alienatio 2. F. 26. §. si Vasallus feudum. & 2. F. 42.

16. Et modo ex communi opinione alienatio fuerit cum traditione conjuncta.

17. Neque præsumitur alienatio feudi, si Vasallus omnia bona vendiderit. 2. F. 26. §. in generali.

18. 7.) Si feudum vel partem ad Dominum spectare dolosè negaverit 2. F. 26. §. Vasallus si. & §. Vasallus feudum 2. F. 34. §. si fuerit. 2. F. 38.

19. 8.) Si feudo abutatur, quod inconditè tractare vocant. 2. F. 27.

20. 9.) Si hostilitatem vel grandem patrimonii jacturam domino intulerit.

21. 10.) Si Credentiam Domini ad damnum ejus scienter manifestaverit. 1. F. 17.

22. Per consequentiam delinquitur in Dominum, si uxori ejus vel personis cognatis in domo ipsius constitutis stuprum inferatur. 1. F. 5.

23. Imò licet attentetur saltem, modò attentatio fiat per actum illicitum. d. 1. F. 5.

24. Idem

24. Idem dicendum de Domini Sorore & privignâ, si adhuc sint innuptæ, quod in capillis esse dicitur 2. F. 24. §. 2.

25. Etiam, si nurui Domini sese immiscuerit, quia sic violat successorem Domini directi. 2. F. 24.

26. Adeoque in genere, si stuprum commiserit vel attentaverit in personas Domino consanguinitate vel affinitate junctas, quamdiu in domo Domini morantur.

27. Quod enim per Domum non intelligatur familia vel potestas Domini, satis evincunt exempla sororis & privignæ.

28. Interest tamen, an sciverit personam istam esse uxorem vel cognatam Domini, an ignoraverit.

29. Quod enim hic nonnulli nihil referre credant, an sciverit, nec ne, quia sufficiat scientia Vasalli, personam ejusmodi esse v. g. uxorem alienam, id admittendum non videtur.

30. Nam diversa est poena adulterii vel stupri ordinaria à privatione feudi.

31. Quid si stupraverit viduam Domini? vid. 1. F. 21.

32. In extraneum culpa committitur  
i.) si

1.) si Vasallus fratrem suum eâ intentione occidat, ut ejus jure in feudo potiatur. Ita enim ex 2. *F. 37.* limitandus videtur textus. 1. *F. 5.*

33. 2.) Si Convassallum tradat, ut in curiâ amplius stare non possit. 2. *F. 37.*

34. 3.) Si nuptias incestas contraxerit.

35. 4.) Si manus violentas inferri sibi tentaverit.

36. Quibus addunt 5.) quævis scelera, propter quæ Vasallus in curia Domini stare non possit, sed vid. 2. *F. 24. §. 2. in fin.* ubi ob perjurium Vasallus feudum non perdit.

37. Ad culpam omissionis spectat a) omissa renovationis investituræ petitio intra annum & mensem. vid. supra *cap. 6. posit. 71. seqq.*

38. Quod tamen tempus hodiè pupillis, & in plerisque locis minorennibus non currit 2. *F. 26. §. si minori.*

39. Obtinet verò ea petitio etiam in feudis *Francis & exiguis*, ex quibus servitia militaria non præstantur.

40. Investitura enim renovatur non propter servitiorum præstationem, sed propter Domini directi recognitionem.

41. 3.) De-

41.  $\beta$ ) Denegata præstatio fidelitatis, 2. F. 26. §. licet Vasallus. & servitiorum sine justâ causâ 2. F. 28. §. ad hec. modò Vasallus fuerit vocatus 2. F. 26. §. Etsi Vasallus & §. si Vasallus.

42. Hinc feudum amittitur, si Vasallus Dominum in acie deserat 1. F. 5. pr. 2. F. 24.

43. Modò ipse Vasallus Dominum deserat, non substitutus.

44. Et modò Dominus nondum occisus sit vellethaler vulneratus d. 1. F. 5.

45. Imò nec his casibus fugere potest Vasallus, si exercitus Domini adhuc pugnet.

46. Agitur enim causa futuri successoris & Reipublicæ dominicæ.

47. Non tamen vitam Domini vitæ propriæ præferre tenetur Vasallus, nisi simul sit subditus.

48. Porrò  $\gamma$ ) amittitur feudum, si Dominum ab hostibus captum Vasallus cum posset, non redemerit. 2. F. 24.

49.  $\delta$ ) Si Vasallus resciverit contra Dominum aliquid machinari, idque dolose reticuerit. 2. F. 24. §. 2.

50. Cæterum quoties felonia committitur, causæ cognitione & sententia ad

ad feudum auferendum opus est. *l. F. 21. 22.*

51. Verùm, an hæc sententia declaratoria sit, an privatoria (i. e. an à tempore felonix, an verò à tempore sententiæ feudum pro amisso habeatur) disquirunt Interpretes.

52. Prævaluit posterior opinio, quam rationibus firmat *Struvius cap. 15. aph. 11. n. 3.*

53. Usus quæstionis conspicitur potissimum in restitutione fructuum.

54. Si enim ipso Jure feudum extinguatur per feloniam, fructus à tempore delicti percepti domino vel agnatis erunt restituendi.

55. At si per sententiam demùm auferatur, auferuntur saltem fructus post sententiam percepti.

56. Citra culpam Vasalli feudum regulariter non amittitur.

57. Idque sive majus sit sive minus, licet Feudista Jctos sui ævi, tanquam in hac quæstione non satis subtiliter cernentes reprehendat *l. F. 7. Conf. l. F. 1. §. 5.*

58. Dico regulariter, amittitur enim feudum 1.) præscriptione.

59. 2.) Refutatione, quam Vasallus domino facit, & vice versâ. 60. De

60. De illâ in præcedentibus dictum est; hæc valet, in quantum agnatis non præjudicat.

61. Dominus enim Dominium suum directum refutare potest, non verò omnes qualitates feudales.

62. Unde hoc casu filiabus agnati in Successione præferuntur.

63. 3.) Si prædium feudale planè intereat, occupatione hostili, terræ motu, inundatione.

64. Ædibus autem combustis in arcâ feudum supermanet, quippe quod magis rem stringit, quàm ususfructus.

65. 4.) Defectu successorum tam ex parte Domini, quàm Vasalli. De Jure antiquo vid. *l. F. l. §. 1.*

66. Cum differentia tamen, ut omnes hæredes allodiales domini dominium directum retineant.

67. Transeunte Dominio directo ad Vasallum, res fit allodium irregulare, ut in *posit. 50.*

68. Non autem transit dominium directum ad Vasallum, si Dominus fuerit supremus imperans, & bona in feudum concessa ad Remp. spectent.

69. 5.) Si Vasallus incipiat esse inhabilis:

lis: five vitium superveniat naturale *1. F. 6. §. 2.* five voluntarium, ut si Clericatum vel votum religionis assumat. *2. F. 26. §. qvi clericus & 2. F. 21. 2. F. 30.*

70. Quod hodie in successione principum reformatarum Ecclesiarum non attenditur.

71. Neque inter Canonicos & Equites Ordinum religiosorum.

72. At privati Clerici strictè dicti neque hodiè sine consensu Domini succedere possunt.

73. In Electoratu tamen Saxoniae indistinctè succedunt. *P. 3. Const. 28.*

74. Nisi expressè conventum sit, ut Vasallus in propriâ personâ servitia præstet.

75. Quod si Vasallus sine culpâ suâ inhabilis factus sit, filiis ejus feudum relinqvendum puto. *arg. 2. F. 21.*

76. Feudo verò ob defectum successorum finito, circa fructus, an hæredibus allodialibus, an Domino cedant; distinguendum inter fructus Civiles, & naturales.

77. Civiles quorum dies venit, omnes ad hæredes allodiales spectant.

78. Si dies non venerit, pro ratâ temporis dividuntur.

79. Na-



79. Naturales percepti hæredibus itidem cedunt.

80. Nondum percepti verò, si intra Martium & Augustum decesserit Vasallus, ad hæredes; si reliquo anni tempore, ad Dominum spectant. 2. F. 28. §. *hi consequenter.*

81. Jure Saxonico duo specialia hic notanda 1.) rastro subacta hæredibus cedere. 2.) Civiles fructus, si dies intra mensem à morte Vasalli non venerit, indistinctè ad Dominum spectare.

82. Quod de fructibus diximus in casu feudi aperti, idem dicendum si hæredes feudales supersint.

83. Cum differentiâ tamen, ut successores feudi, si simul sint hæredes allodiales, de fructibus, quos filiabus adscripsimus, participent, secùs ac Dominus, quia hic non est hæres.

84. Meliorationes tollere possunt hæredes allodiales, sive Feudum ex culpâ s. sine eâdem amissum fuerit. 2. F. 28. §. *si Vasallus.*

85. Quod si eadem fuerint necessariae & facile possint refundi, integræ recipiuntur.

## CAP. X.

*De Actionibus & Processu  
circa feudum.*

1. **A**ctiones intuitu feudi vel dantur inter dominum & Vasallum, vel adversus tertium.

2. Circa has nota : quæcunque actio competit domino pleno, ea etiam competit domino directo vel Vasallo adversus tertium arg. 2. F. 8. §. rei autem.

3. Nisi quod Vasallo competat actio utilis 2. F. 43. quod tamen inanis est subtilitas jam tempore Constantini explosa. L. 47. d. N. G. & L. 1. C. d. formul. & impetr.

4. Quoties in actione contra tertium concurrat Dominus & Vasallus, hic illi semper præfertur.

5. Quæ verò inter Dominum & Vasallum competunt, vel concernunt feudum constituendum vel constitutum.

6. Illo casu Vasallus adversus Dominum agit, ut rem, quam promisit, in feudum det.

7. Est verò hæc actio talis, qualis promissio, e. g. emti, præscriptis verbis, condictio ex moribus &c. Prout emtio sub-

subest vel permutatio vel nudum pactum.

8. Idemque dicendum, si Vasallus feudo evicto adversus dominum agat ad interesse.

9. Interdum etiam Domino competit, si Vasallus rem suam allodiam in feudum offerre promiserit.

10. Actio de feudo constituto datur vel ad illud conservandum vel ad resolvendum.

11. Prior datur Vasallo ad impetrandam Investituræ renovationem, utque Dominus eum pro Vasallo habeat.

12. Vel Domino ad exigenda servitia feudalia.

13. Hæ actiones regulariter sunt personales ex contractu feudali descendentes.

14. Præjudiciales verò utiles cum his concurrere putant communiter: Mallem dicere *confessorias* utiles.

15. Ad feudum *resolvendum* datur condictio causâ datâ causa non secutâ, si à Vasallo felonia commissa sit. 1. F. 21.

16. Domino feloniam committente dabitur Vasallo vel eadem, vel condictio ex moribus feudalibus. 2. F. 34.

17. Non verò datur rei vindicatio

G 2                      quia

quia felonia feudum non ipso jure solvit.  
vid. cap. præced.

18. De revocatoriâ actione agnatis com-  
petente diximus supra cap. 8.

19. Judex in causâ feudali competens  
est Dominus directus, si convasalli inter se  
invicem agant 1. F. 18. 2. F. 34. pr.

20. Si agatur cum Domino, hic vel ha-  
bet judicem competentem vel non.

21. Priori casu ad judicem Domini or-  
dinarium recurritur.

22. Posteriori solet Dominus commu-  
niter eligere judicium in provinciis suis,  
coram quo causæ ejus ventilentur. De  
jure antiquo vid. 2. F. 16. & 34.

23. Quæ ergò de paribus Curia affe-  
runtur in Jure feudali, nullius sunt mo-  
menti.

24. Neque in modo procedendi di-  
versum quid à Jure communi obtinet.

**FINIS.**

&c.

vit.

om-

ens

r fe

ha-

or-

nu-

uis,

De

ffe-

no-

di-

et.

mel


ib

v

dsb

x

f



44 <sup>14</sup>  
—  
K 8


ULB Halle  
006 235 093

3




VOTZ/VON









GEORGII BEYERI,  
Jurium D.  
DELINEATIO  
JURIS FEU-  
DALIS

*Ad fundamenta sua revocati  
&  
Usui seculi accommodati  
Positionibus succinctis  
inclusa.*



LIPSIÆ,

*Sumtibus Autoris.*

Venditur apud Fridericum Groschuff,  
ANNO MDCXCH.